PA 4276
.B7
Copy 1

PA 4276
.B7
Copy 1

QUID PINDARUS TUM DE JURE HUMANO TUM DE JURE DIVINO JUDICARIT.

DISSERTATIO INAUGURALIS PHILOLOGA

QUAM

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN ACADEMIA LUDOVICIANA

AUCTORITATE ET CONSENSU

EDIDIT

LOTHARIUS BOEHME

SAXO.



LIPSIAE MDCCCLXXII.

TYPIS OFFICINAE FERBERI ET SEYDELI (J. F. FERBER).

PA4276
.B7

98-118717

Quid Pindarus tum de jure humano tum de jure divino judicarit.

Non semel tantum vel bis, sed saepissime de Pindari vita, ingenio, poësi viros amplissimos praeclare scripsisse, quisquis his rebus operam navavit, satis expertum habebit. Et profecto, quo modo fieri potest, ut summus poëta lyricus, qui inter Graecos florebat, nescio an ingeniosissimus poëta lyricus omnium temporum in odis quidem componendis, oblivione obruatur, quippe qui et metrorum arte ac suavitate et sententiarum elegantia ac gravitate paene omnibus antecesserit? Quodsi, quomodo haec carmina politissima arte perfecta accipienda sint, inquirimus, triplex potissimum horum cantuum interpretandorum genus reperiri mihi videtur, quibus explicationum modis paene omnes libri, qui de his rebus sunt, respondent. Tantum autem abest, ut haec tria genera inter sese conjuncta non cohaereant, ut saepenumero potius aliud ad aliud deflectat. Ac primum quidem deliberanti mihi carmina Pindarica ex rerum scriptoris persona perpendenda esse videntur, ut quomodo haec poesis ex tota Doriensium gente exorta ab eaque mirifice exculta sit, deinde quomodo post annorum seriem flos atque fructus artis lyricae evaserit, demonstretur, quod quidem **Wachsmuthium** disputationibus illis, quibus inscriptum est: de Pindaro reipublicae constituendae et gerendae praeceptore, sibi voluisse arbitror.

Altero loco de ipsa arte, quae et in metris eligendis et in materia ac fabulis excudendis cernitur, dicendum erit. Nam si ex ullius poëtae carminibus, quam accurate metra cum ipsa re congruant, cognoscitur, hujus poëtae cantica mirifice testantur, quam ad rem demonstrandam ut pauca tantum exempla afferam, conferas Olymp. I antistr. initium, ubi Hieronis potentia atque justitia artis musicae amori per rhythmos mirifice opponuntur;

deinde quam praeclare Pelopis desiderium Hippodamiae in matrimonium ducendae poëta expressit Ol. I v. 67! denique Nem. V, v. 22 quam suaviter Musarum chorum cantus moventem, Apollinemque choro praecedentem depinxit! Qua de re demonstranda inprimis **Bippart** libro qui inscribitur: de Pindari vita et arte ac quid ille de rerum humanarum divinarumque conditione statuerit, et **L. Schmidt** libello, qui est de Pindari vita ac scriptis, meruerunt, quorum alter, Bippart, praecipue musicam Pindaricam explicare studuit, sed nescio an parum accurate, quoniam artis praecepta, cujus quidem partes sunt et musica et poësis, ignorasse videtur: nam de musica disputationem ab ea, qua de Pindari arte poëtica agitur, falso sejunxit. Etiam L. Schmidt, quanquam de materiae ordine in carminibus Pindaricis satis multa conjecit atque eo quod complures periodos poësis Pindaricae constituit, quem ad modum poëta excultus sit, explanare studet, nihilo minus ad satis certas rationes hanc quaestionem non redegit.

Quibus rebus expositis tertium illud restat, quo ad Pindari ingenium plane perspiciendum perveniamus, eo quod praescripta, quae philosophia moralis praebet, observamus. Etenim quum libros huc spectantes animo consideremus, primum Bippartii, deinde dissertationis inauguralis a **Bullio** editae, qua de Pindari sapientia agitur, denique libelli a **Buchholzio** compositi, qui inscribitur: de philosophia morali quatenus apud Pindarum atque Aeschylum appelletur, mentionem faciam.

Sed quanquam doctissimi illi homines multum ad deorum et hominum morum conditionem recte intellegendam attulerunt, propositum praeclare perfecisse non videntur, quoniam Bippart non tam totam doctrinam moralem carminibus Pindaricis expositam, quam singulares potius partes, sicut voluit, explanare studuit, Bulle autem totam materiae copiam arctissimis finibus coercere non valuit, denique Buchholz, quamvis sagaci mente praeditus, omnes res huc spectantes in loco suo reponere non potuit, quoniam ut exemplis, quae protuli, perillustrem, Pindari de civitate ac principe sententias ab eo capite, quo agitur de virtutibus in hominum consuetudine adhibendis, minime accurate sejungit. Ceterum etiam **Zeyss**, qui, quid Homerus et Pindarus de virtute, civitate, diis statuerint, exponit, totam materiam non recte elaboravit, quia nulla sententiarum serie interposita primum de pietate, deinde de virtutibus cardinalibus, tum de civitate p. 51 sq. verba fecit.

Quoniam doctorum hominum, qui de Pindari ingenio exposuerunt, scripta commemoravi, jam de dissertatione mea pauca pronunciare haud absurdum esse videtur. Quum enim, ut totam Pindari sapientiam explanemus, qua in re multi et docti homines peccarunt, non esse possit, quod spectemus, immo singulares tantum partes, quibus potissimum Pindari et animi et morum dignitas cognoscatur, considerandas esse existumem, quum alias res tum justi notionem apud Pindarum, quae divulgentur, dignissimas duco. Nam quamquam quin philosophiae morali in Pindaricis carminibus excultae nonnunquam nimis tribuatur, dubium esse non potest, certas quasdam notiones agendi normas apud vatem Thebanum exstare me demonstraturum esse spero, quae quidem notiones etiam apud homines posterioris aetatis maximi momenti fuerunt. Cur autem praeter ceteras justi ideam peculiari dissertatione dignissimam habuerim duabus potissimum causis colligitur, quarum altera est, quod Graeci jam ab antiquissimis temporibus huic notioni permagnam vim tribuerunt; altera, quod viri illustres hanc materiam nondum singulariter excudere studuerunt. Quanquam enim de idea justi apud Homerum demonstranda **Allihn** et **Platner** praeclare meruerunt, quanquam idem Platner justitiae notionem apud Aeschylum et Sophoclem exposuit accuratius, hanc ideam, quatenus in Pindari carminibus exstat, homines docti planius non explicaverunt, quamvis summum poëtam lyricum summa et juris inter homines valentis et legum divinarum reverentia fuisse notum sit *).

Quae cum ita sint operae pretium mihi esse videtur, quid Pindarus de jure inter homines vigente ac de jure divino judicarit, in medium proferre **).

---

*) cf. praeter ceteros scriptores Graecos **Platonem** reip. lib. I, p. 331.

) Praeterea de hac re disputarunt: **Clausen, theolog. Pindarica; **Eberts,** theolog. Pindarica, Monachi 1839; van **Limbourg Brouwer:** essai sur la beauté morale de Pindare.

Unde rectius ordiri possumus, quam a praeclarissima illa enarratione, quae est in oda Pythica quarta quo carmine accuratius atque subtilius quam ullo alio loco de idea justi, quatenus inter Dorienses vigeret, hic poëta disseruit? Nam quum idea justi inter homines dupliciter repraesentetur, quoniam jus et in certis rationibus et in personarum sententiis positum esse potest, utriusque juris genus Iasonis exemplo allato Pindarus nobis quasi ante oculos posuit. Jam si jus in ratione positum nobiscum reputamus hoc nihil aliud significare potest, quam duarum personarum vel potius dicam duarum voluntatum ad litem vitandam consensum. Deinde, quod jus est in hominum opinione positum, hoc significare mihi videtur, unicuique licere, quasdam res poscere, quas denegare non licet alteri, ne injuriae et insolentiae culpam sibi consciscat.

Jam videamus, quatenus has leges, quae cum notione justi congruunt, observarit Iason, qui cum viris Thessalicis inde a versu altero et centesimo colloquitur, ut, quo jure in hac terra regnet, demonstret. Non hostem sese, sed hospitem hanc terram intrasse dicit, quippe quum parentes imperium proprium tenuissent per injuriam autem Peliam, qui tunc regnabat, regnum occupasse. Quibus rebus coram populo expositis cum Pelia praeclarissimum pactum facit. Ac primum quidem lis quam turpis sit atque noxia, exponit Iason inde a versu 139. Multos homines lucrum dolosum pluris quam quod justum sit aestimasse dicit, serius autem injuriam aegre tulisse. Num quis flagrantius pacis desiderio commotus odium discordiamque evitare studere potest? Eandem sententiam habent versus 147 et qui sequitur:

οὐ πρέπει νὼ χαλκοτόροις ξίφεσιν
οὐδ' ἀκόντεσσιν μεγάλαν προτέρων τιμὰν δάσασθαι.

Cum his sententiis modo explanatis, quod Pindarus Pyth. 8, 13 pronunciavit, optime congruit. Dicit enim:

κέρδος δὲ φίλτατον Ἐκόντος εἴ τις ἐκ δόμων φέροι.

Quodsi Iason, quid juris sibi esset hujus terrae gubernandae exponere voluit, patrem Aesonem et ipsum justos Iolcorum terrae heredes esse demonstrare oportuit: cf. Gurlittii interpret. German. huj. odae. Etenim quum Aeolus tres haberet filios, Cretheum, Salmoneum, Phrixum; Aeson, Iasonis pater Crethei filius esset maximus natu; Pelias autem Salmonei esset avunculus, Aesonem et Iasonem jus, quod nulla sub conditione labefactari potuit, tenuisse apparet. Quae cum ita essent, Iason regnum sibi proprium a Pelia postulat, sed id quoque modesto atque aequo modo. Neque enim divitias, quae erant Peliae, inprimis greges poscit, sed nil postulat, nisi sceptrum et solium, imperii signa, ne iterum aegritudo existat: cf. v. 154 et q. s.

τὰ μὲν ἄνευ ξυνᾶς ἀνίας
λῦσον ἄμμιν, μήτι νεώτερον ἐξ αὐτῶν ἀνασταίη κακόν.

Videlicet cavet Pelias, ne jus possessionis pertinaciter observans novae litis det occasionem. Quod Pelias libenter concessit. Itaque Iason civitatem, quam non dissipavit, florentissimam et accepit et servavit. Sed quam ob causam hanc rem paulo planius commemoro? Quia ex hac praeclarissima enarratione quasi in lineamentis hoc, quod Pindarus de justi notione inter homines cogitavit, cognoscimus. Nam ut ab idea justi, quatenus in certis rationibus posita est, exordium faciamus, Iasonem, quaecunque litem excitare potuerunt, quam diligentissime evitasse apparet, deinde autem ex foedere Iasonis cum Pelia facto, jus mutari posse elucet, quod, quotiescunque personae quaedam inter se consenserunt, omne jus, quod exstat, tolli ejusque loco aliud poni potest. Quod tamen jus est inter singulos homines, idem valet de legibus annorum serie constitutis. Sed alterum quoque ex hac fabula cognosci potest, hoc loco eximium juris in personarum sententiis positi exemplum nobis esse traditum. Nam quia Pelias et Iason fuerunt justi Iolci reges, Iasoni etiam potestas erat juris sui contendendi, quod Iason sic quoque contendere potuit, si quid detrimenti ei allatum erat. Ceterum consideres animo, quam dilucide, quam definite, quam non ambigue Iason, quod appetebat, exposuerit, quoniam etiam ex dubiis enunciatis satis facile nova lis exoriri

potest. Deinceps etiam praeclarum ideae justi exemplum, quatenus inter homines repraesentatur, est in oda Nemeaea quarta. Peleus enim, postquam perdomuit Iolcum, hanc terram non in potestatem suam redegit, sed tradidit Thessalis (*παρέδωκεν Αἰμόνεσσιν* v. 56). Neque enim unus homo ad litem vitandam licentia inaudita per vim fraudesque et res et servitutes ab aliis hominibus postulabit. Eodem modo Peleus legibus cum aequi notione congruentibus obtemperavit, quum injurias alii illatas vindicasset.

Verum enim vero idea justi apud Pindarum non dumtaxat ex iis rationibus, quae inter singulos homines intercedunt, sed etiam ex prudentia illa, quae versatur in perspiciendis rationibus constituendarum et regendarum civitatum, cognosci potest. Age vero videamus, quid Pindarus de civitatis munere diserte pronunciaverit.

Suo commodo unumquemque et tutelam et securitatem postulare et quatenus haec securitas una eademque potestate praebeatur, iisdem terminis civitatem contineri, nemo est, quem fugiat. Etiam Pindarum, quanquam plane quidem hanc sententiam non profert, ex iis versibus, qui sunt in carmine Pythico quarto, ab hoc judicio non abhorruisse, satis luculenter apparet. Quum enim poëta de Damophilo in patriam revocando, quem Arcesilaus Cyrenensium rex exilio affecerat, dicat:

τοῦτ᾽ ἀνιαρότατον καλὰ γιγνώσκοντ᾽ ἀνάγκᾳ
ἐκτὸς ἔχειν πόδα — (v. 288 et 289).

quid aliud significat Pindarus, quam libere sententiam proferre in civitate cujusque civis esse oportere? Atque ut Arcesilaus animo reputet, quam necessarium sit jus sententiarum libere pronunciandarum Pindarus dicit Pyth. 4, 271:

χρὴ μαλακὰν χέρα προσβάλλοντα τρώμαν ἕλκεος ἀμφιπολεῖν.

Nam ordo in civitate facillime dissolvitur; difficillime autem res dissolutae in loco reponuntur.

Quae cum ita sint, quae est Pindari sententia, tranquillitas, quantum quis valet, servanda est, nec cuiquam avaritia perducto litem excitare licet, quoniam patria facillime in discrimen venit, quam in rem cf. fragm. 194 apud Bergk. Nam discordia non solum in praesens tempus paupertatem atque egestatem efficit, sed etiam posterioris aetatis hominibus summum affert detrimentnm, quam ob rem Pindarus *στάσιν — πενίας δότειραν, ἐχθρὰν κουρότροφον* recte dicit. Pacem autem, tranquillitatem, inprimis felici-

tatem sic tantum vigere atque florere posse, si leges et jura observentur, nemo est, quin intellegat. Quam ob rem poëtam tranquillitatem, Justitiae filiam, laudibus tulisse existimo Pyth. VIII, 1:

Φιλόφρον Ἡσυχία Δίκας
ὦ μεγιστόπολι θύγατερ et q. sq.

e quibus dictis, etiamsi poëta hoc non plane atque aperte demonstraret, bellum oriri non posse, nisi justi idea prorsus evanescat, unus quisque cognoscet. Profitetur autem Pindarus hanc sententiam suam Isthm. 3, 17, ubi vocabula:

τραχεῖα νιφὰς πολέμοιο

in medium profert, quod periculum a patria removisse, non infimam laudem duxit poëta Isthm. 6, 27 et q. sq.

ὅστις ἐν ταύτᾳ νεφέλᾳ χάλαζαν
αἵματος πρὸ φίλας πάτρας ἀμύνεται,
λοιγὸν ἀμύνων ἐναντίῳ στρατῷ
ἀστῶν γενεᾷ, μέγιστον κλέος αὔξων
ζώων τ' ἀπὸ καὶ θανών.

Itaque urbis Aetnae amore ductus nihil ei optat magis, quam pacem aeternam ac Iovi omnipotenti supplicat, ut praesidio urbem tueatur. Eodem quoque spectat eximius ille locus Pyth. 1, 86, quo poëta Hieroni praescribit:

*νώμα δικαίῳ πηδαλίῳ στρατόν**)

ita ut omnibus, qui ejus imperio subjecti sint, satisfiat, cujus rei causam affert splendidissimam, quoniam mitis regis gloriam omnibus temporibus atque omnibus aetatibus vigere exemplo Croesi fine ejusdem odae illustratur, at memoria Phalaridis saevissimi illius regis atque violentissimi aeterna oblivione peribit. Jam pergo ad virtutes illas, quas boni et justi regis esse opus est, quibus in rebus explicandis atque laudandis, quanta ars, quanta industria quam excellens ingenium perspicitur! Age vero faciamus initium ab oda illa, quam deos in Olympo summa cum voluptate cecinisse dicit Lucianus, dico carmen Olympicum primum. Quanquam Pindarum partibus singularis imperii favisse vel ex carmine Pythico quarto cognovimus, qua de re cf. L. Schmidt, de Pindari vita et scriptis p. 302, qui ornatius atque copiosius de hac re in odis Hieroni dedicatis disseruit. Quid quod in oda Olympica prima libere profitetur, v. 113:

---

*) cf. Platonis Gorg. pag. 526 A inde a vocabulis: *χαλεπὸν* et q. sq.

τὸ δ' ἔσχατον κορυφοῦται βασιλεῦσι

ita ut principes in civitate summam potestatem tenere opus esse censeat? Quid quod in persona regis quasi perfectum exemplar omnium virtutum, omnium rerum, quae et hominum intellegendi prudentiam acuere et mores conformare possunt, intuitus est; quid quod Hieronem dehortatur, ne majora expetat?

μηκέτι πάπταινε πόρσιον —
εἴη σε τοῦτον ὕψοῦ χρόνον πατεῖν.

Sed cur Hieronem potissimum in medium protulit? Quamvis magna potentia praeditus esset, tamen fieri non potuit, ut dignus judicaretur, quem Pindarum maximis laudibus efferret. Hiero autem non solum aetatis suae princeps potentissimus fuit, qui postquam Poenos pugna ad Himeram plane devicit, in omnes aetates imperii fines ab impetu hostili servavit et victoria equestri in Olympiis reportata summorum honorum, qui sunt hominis, particeps fuit, sed etiam domi ubique, quatenus fieri potuit, veram felicitatem et salutem civibus omnibus communem, qui ei dicto audientes fuerunt, mirum quanto studio parare cogitavit. Itaque quod modo demonstravimus, quum finitimorum vim Hiero repressit tum, ut unusquisque res suo jure sumere et in jure vindicare posset, plane justo modo sanxit. Recte igitur Pindarus carminis Olympici primi v. 12 dicit:

Θεμιστεῖον ὃς ἀμφέπει σκᾶπτον ἐν πολυμάλῳ Σικελίᾳ.

Atqui quem in modum rectius atque melius fieri possit, ut quisque res suo jure sumat, quam si in civitatibus liberales artes optime coluntur, quibus quidem ad mores corrigendos et emendandos opportunius quidquam usque ad hoc temporis spatium non cognovi?

Quae cum ita sint, Pindarus praeclare verba addit:

δρέπων κορυφὰς ἀρετᾶν ἀπὸ πασᾶν.

Inprimis autem, quod est Pindari excelsum ingenium, musica mores mitigare valet, quam ob rem poëta v. 14 et 15 pronunciat:

ἀγλαΐζεταί τε καὶ Μουσικᾶς ἐν ἀώτῳ.

Hiero enim musicas artes summo amore amplectebatur; adibant ejus aulam celeberrimi Graeciae poëtae, Simonides, Pindarus, Bacchylides, Aeschylus, qui humanitate sua ac jucunditate omnem tristitiam nonnunquam in animum regis irrepentem tollebant. — Idem Pindarus (dico odam Pythicam quintam inde a versu 63) animum quasi civitatem ducit, in qua bellum perturbatio-

nibus quibusdam, avaritia, insolentia, iracundia, aliis vitiis excitatum, tranquillitatem et legalitatem, quae ubique parant felicitatem, dissolvit; vi tamen poësis atque musicae animi perturbationes in rectum ordinem atque in aeternam pacem convertuntur, quod Pindarus praeclarissimis illis verbis exprimit:

πόρεν τε κίθαριν, δίδωσί τε Μοισᾶν οἷς ἂν ἐθέλῃ
ἀπόλεμον ἀγαγών
ἐς πραπίδας εὐνομίαν.

Quantum autem prosit quantamque felicitatem afferat civibus, si nonnulli homines et singulari quidem ingenio praediti in eo numero exstent, qui velut lumina nitore quodam et paene divino luceant et si praecipue princeps civitatis sponte sua totam copiam et vim artium literarumque complecti studeat, satis dilucidum est. Qua de causa, quod jam supra leviter attigi, singularis imperii partibus magnopere Pindarus favisse videtur; quia dignitas regis atque majestas civibus magno cum splendore praefulget eoque majore, quotiescunque potentia cum virtutibus principis conjuncta est. Recte igitur hic poëta regis personam cum persona poëtae fine odae Olympicae primae componit, quoniam uterque summum inter homines principatum tenet, qua cum sententia congruit quod Pindarus in oda Pythica quinta Arcesilao pronunciat:

σὲ δ' ἐρχόμενον ἐν δίκᾳ πολὺς ὄλβος ἀμφινέμεται
τὸ μὲν ὅτι βασιλεύς
ἐσσὶ μεγαλᾶν πολίων,
κ' ἔχει συγγενὴς
ὀφθαλμὸς αἰδοιότατον γέρας
τεᾷ τοῦτο μιγνύμενον φρενί.

Eodem pertinet ejusdem odae initium:

ὁ πλοῦτος εὐρυσθενής et quae inde sq.,

quia ea facultate et copia qua vult princeps vivere potest. Atqui, quia rex tanta praeditus est dignate omnibus civibus praestante rebus indignis commissis facillimo modo aliquid de gloria sua detrahere valet, ita ut maximam culpam sibi imponere possit. Nam quoniam omnibus civibus praepositus est, quidquid agit, quasi ante oculos eorum, qui potestati ejus sunt subditi positum est et in eorum sententiis versatur, quod Pindarus mira eloquentia explanavit Pyth. 1, 87 et iis v. q. sq. (*πολλοὶ μάρτυρες ἀμφοτέροις πιστοί κιλ.*), quo loco vates Thebanus ad summas Hieronis laudes nihil magis eximium proferre potest, quam quod

praedicat, quae coummuni civium saluti operam navet, summam diligentiam. Et profecto sicut benevolentia, quae est inter singulos homines, maximam affert gloriam uni homini, sic etiam in civitatibus amplius quidquam atque honestius fingi non potest, quam quae omnes cives felicissimos et beatissimos reddere studet, benevolentia. Itaque ingeniosissime Pindarus:

μὴ κάμινε λίαν δαπάναις
ἐξίει δ' ὥσπερ κυβερνάτας ἀνήρ
ἱστίον ἀνεμόεν.

Qua benevolentia praesidium firmius ad populi favorem amplificandum atque augendum excogitari nequit, qui favor si quando principem defecit, facillime totius populi communem perniciem secum ducit, qua ex sententia praecepta illa memoratu dignissima mihi exorta esse videntur, quae in oda Pythica quarta inde a versu 263—269 Arcesilao dedit poëta, quoniam nimis severe egit in Damophilum cognatum, quibus versibus aenigmate prolatis poëta explicat, si sequimur Boeckhium, ne demptis quidem principibus populum vires amittere nec posse in optimos viros saeviendo frangi ejus potentiam; videat rex, ne aut seditionis incendium oriatur aut superbiam regiam indignatus populus ad alienum imperium accedat. Sicut autem in cives princeps benevole sese exhibere debet, sic ipse quoque in hospites. Eum quoque, qui alicujus domum adit, tutelam sibi paratam fore confidere neque ullo modo hanc fidem esse tollendam, nemo est, quem fugiat. Cujus hospitalitatis summa cum laude appellandi testes sunt Thero Agrigentinus, quem poëta dicit *ὅτι δίκαιον ξένων* (Ol. II v. 6); Battus Cyrenaeus, quem poëta his laudat:

πύργος ἄστεος ὄμμα τε φαεννότατον
ξένοισι (Pyth. V, v. 56 et 57);

inprimis Hiero Syracusanorum rex, cujus regis convivia summe celebrata suavissime poëta commemorat Ol. I, 16. Sic etiam Corinthum urbem hospitalitatis gloria exornat eo quod vocat Ol. XIII, 2.

— οἶκον ἄμερον ἀστοῖς
ξένοισι δὲ θεράποντα γνώσομαι
τὰν ὀλβίαν Κόρινθον.

Amicitiae in hospites gloria usque ad remotissimas aetates propagatur, sicut Aeacidarum gens et sedes, quae Aeginae fuerunt,

Pindarus *δίκᾳ ξεναρκεῖ φέγγος* dicit, quum Epeorum regem propter jus hospitii violatum detestatur, eoquod pronuntiat: *ξενατάτας βασιλεὺς Ἐπέων*. Quae quum ita sint, si rex ad civium communem salutem divitiis recte utitur, hoc optimum atque prosperrimum duxit Pindarus: cf. Pyth. II, 56:

τὸ πλουτεῖν δὲ σὺν τύχᾳ πότμου σοφίας ἄριστον.

(qua in re equidem totus adstipulor Dissenio, non Boeckhio, qui post vocabulum *πότμου* comma posuit: cf. Dissen ad h. l. et exempla ibi allata). Quin etiam Hieronem hanc ob rem summum qui tunc erant principem Pindarus existimavit, quoniam Hiero opibus et dignitate (*κτεατέσσι τε καὶ περὶ τιμᾷ*) fortunatus alios beneficiis afficere tam proprie liberalis hominis inprimis regis esse censuit! Quanti autem Hieronem duxerit poëta quum ex aliis locis tum ex oda Pythica tertia, qua tam dilucide regis virtutes summis laudibus tolluntur, cognoscitur, versus dico 70 et qui sq.

ὃς Συρακόσσαισι νέμει βασιλεύς
*πραΰς ἀστοῖς, οὐ φθονέων ἀγαθοῖς, ξείνοις δὲ θαυμαστὸς πέλει**).

De benevolentia diximus, quam principem in populo adhibere oportet, jam de fide habenda paucis disseramus. Quanti Pindarus fecerit, si quis inprimis coram civibus vera dicat ex oda Pythica altera inde a v. 86—89 cognosci potest, vocabula dico:

— εὐθύγλωσσος ἀνὴρ προφέρει
παρὰ τυραννίδι χὠπόταν ὁ λάβρος στρατός
*χῶταν πόλιν οἱ σοφοὶ τηρέωντι***).

Unde Pindarum, quod est ingenium Doricum sincerissimum minime reipublicae vel potius dicam civitati populari magis regno, maxime illi optimatium potestati favisse, qua de re nonnulla verba jam faciam, cognoscimus, qua cum sententia Platonis illud in fine reipublicae libri quanti pag. 445 E prolatum inde a vocabulis:

---

*) Sic ponam pro scriptura recepta *πατήρ*. Quoniam notiones *θαυμαστός* et *πατήρ* si minus altera alteram excipiunt, at certe haud apte collocantur. Accedit quod Hiero et ludis Olympicis et proeliis in Carthaginienses commissis summam gloriam reportavit, ita ut ejus pro civitate merita quasi in toto terrarum orbe versarentur. Itaque v. 7 od. Isthm. quart. comparato *ξείνοις θαυμαστὸς πέλει* propono, quod nihil aliud significat quam hoc: omnes homines ubicunque habitarunt maxime Hieronem admirabantur.

**) Ad vocem: *λαβρὸς στρατός*, turbulentus populus cf. Muelleri Doriens. vol. alter. pag. 187, ad vocabulum: *οἱ σοφοί*: optimates cf. Muelleri Doriens. vol. alt. p. 12.

οὔτε γὰρ ἂν πλείους οὔτε εἷς ἐγγινόμενος et q. sq. comparari potest. Sed quoniam vocabula ἀγαθὸς et σοφὸς semel atque saepius legimus apud Pindarum harum notionum usum paucis illustremus.

Ἀγαθὸς proprie eum significare, qui corporis vires egregie excoluit jam ex carminibus Homericis elucet. Quem usum ut exemplis explicem, saepenumero legimus βοὴν ἀγαθός, deinde Il. libri XIII, v. 238: καὶ ἀγαθοῖσιν ἐπισταίμεσθα μάχεσθαι ejusd. libri v. 284:

τοῦ δ' ἀγαθοῦ οὔτ' ἄρ τρέπεται χρώς, οὔτε τι λίην.
ταρβεῖ.

lib. VI, v 632 ἢ κακὸς ἢ ἀγαθός vel ignavus vel strenuus. Sed jam apud Homerum vocem ἀγαθὸς non solum ad corporis virtutes declarandas adhibitam esse cognoscimus, sed etiam eximiae laudes ingenii eadem notione continentur. Sic Il. lib. alt. v. 732 ἀγαθὸς ἰατήρ; tum Odyss. I, v. 43 de Jove narratum erst ἀγαθὰ φρονέων; lib. 18 v. 38 οὐκ ἀγαθοῖσιν ὁμιλεῖς i. e. es in copia non probandorum.

Tertio loco jam in carminibus Homericis ἀγαθὸς significat ex nobili genere ortum. Sic Odyss. IV, v. 611 αἵματος ἐξ ἀγαθοῦ ex nobili sanguine ortus; 18 v. 275 et sq.

οἵ τ' ἀγαθήν τε γυναῖκα καὶ ἀφνειοῖο θύγατρα
μνηστεύειν ἐθέλωσιν.

Etiam numerus pluralis hujus vocabuli legitur in Odyss. lib. 15, v. 323:

οἷά τε τοῖς ἀγαθοῖσι παραδρώωσι χέρηες

ubi οἱ ἀγαθοὶ sunt nobiliores domini, quibus opponuntur οἱ χείρονες viliores.

Extremo loco eadem voce quid utile sit significari quam brevissime commemoro. Sic Odyss. 17, v. 352 legimus pudicitiam mendico non prodesse, non esse commodo et dictum illud praeclarissimum:

οὐκ ἀγαθὸν πολυκοιρανίη εἷς κοίρανος ἔστω.

Qui tamen est vocabuli ἀγαθὸς usus in poësi Pindarica poëtam Thebanum a significatione primaria, quae viri boni, praecipue viri fortis, fuisse videtur semel atque saepius abhorruisse intellegemus. Quamquam enim in oda Isthmica sexta v. 26 tradidit poëta: τιμὰ δ' ἀγαθοῖσι ἀντίκειται, quod de luctatoribus in ludis Isthmicis dictum est, Nem. X, 51: ἀεθληταῖς ἀγαθοῖς; Isthm. IV, 28: ἀγαθοὶ πολεμισταί; nihilo secius locis omnibus, qui huc spectant,

diligenter comparatis aliam hujus notionis sententiam perspiciemus. Inprimis vocabulum *ἀγαθὸς* sententiam accipit cum philosophiae moralis praescriptis congruentem; quem usum ut uno tantum exemplo illustrem, legitur Isthm. I, 46: *ἔπος ἀγαθὸν*: vocabulum ex benevola mente exortum; deinde *φᾶμαι ἀγαθαί* benevole dicta vel fabulae in gratiam (scil. victoris) enarratae, tum Nem. XI, 17 *ἐν λόγοις ἀστῶν ἀγαθοῖσιν*; eodem spectare videntur elocutiones illae *μάντιν ἀγαθόν*, quod significat haruspicem, qui prospera pronunciat; *ἀγαθὰν ἐλπίδα*: spem, quae salutem promittit.

Atqui jam in carminibus Homericis vocabulum *ἀγαθὸς* bonum civem, optimatium fautorem significare cognovimus, quem usum Theognis recepit*).

Quanto rectius Pindarus, qui a gente Dorica originem duxit, hanc vocis sententiam carminibus servavit! Brevi comprehendam ex carminis Pyth. X fine, ubi est:

— ἐν ἀγαθοῖσι κεῖται
πατρώϊαι κεδναὶ πολίων κυβερνάσιες,

idem ex fine Pyth. II, denique ex v. 71 carm. Pyth. III, quod protuli satis luculenter apparet. Ad vocem *ἀγαθός*, mea quidem sententia, quodammodo prope accedit vocabulum *σοφός*, quam notionem Pindarus ipse praeclarissime explicavit v. 96 odae Olymp. II, et qui inde sequuntur, quem totum locum ut in medio relinquam, ab animo meo impetrare non possum. Dicit enim poëta:

σοφὸς ὁ πολλὰ εἰδὼς φυᾷ· μαθόντες δὲ λάβροι
παγγλωσίᾳ, κόρακες ὥς, ἄκραντα γαρύετον.

Quas voces si memoria tenemus, quae sapientiam praeclari ingenii esse pronunciant, locos statim commemorandos multo rectius intellegemus. Saepenumero enim apud Pindarum fit, ut et adjectivum *σοφὸς* et substantivum *σοφία* ad poëtam spectent.

Quum enim Isthm. I, v. 45 et sq.

— κούφα δόσις ἀνδρὶ σοφῷ
ἀντὶ μόχθων παντοδαπῶν, ἔπος εἰπόντ' ἀγαθὸν ξυνὸν ὀρθῶσαι καλόν.

profiteatur, quem alium hoc loco laudatum voluit, quam poëtam? quod quidem v. 51. vocibus *εὐαγορηθεὶς κέρδος ὕψιστον δέκεται* satis demonstratur. Et si addas finem odae Olympicae primae,

*) cf. Welckeri praefat. ad. Theogn. edit pag. XXI.

ubi cum rege Pindarus sese comparat, qua in compositione voces adhibet de se ipso: *πρόφαντον σοφίᾳ καθ' Ἕλλανας ἐόντα παντᾷ, σοφίαν* idem esse atque artem poëticam, ut vocabulum *σοφία* in sermonem Latinum transvertam, quis est, qui negare audeat? praeterea cf. Pyth. I, 12, Pyth. VI, 49, Nem. VII, 23, Isthm. VI, 13. Sed quoniam vocem *σοφὸς* eximium ingenium, inprimis poëtae ingenium, significare intelleximus, etiam praeclaras quum aliarum virtutum, tum abstinentiae indoles hac notione comprehendi declarabo. Homines, quos poëta dicit *σοφοὺς*, nullo loco corrumpi, nulla vi a recta via demoveri posse, Pindarus testatur Nem. VII, v. 17:

σοφοὶ μέλλοντα τριταῖον ἄνεμον ἔμαθον
οὐδ' ὑπὸ κέρδει ἔβλαβεν.

ita ut in voce *σοφὸς* fidei notionem cum idea justi congruentem latere appareat. Deinde si de historiae aequo judicio verba facit poëta, exempli causa Ol. I, v. 33 et 34

ἁμέραι ἐπίλοιποι μάρτυρες σοφώτατοι,

vocabulo *σοφὸς* sententiam a philosophiae moralis praeceptis non abhorrentem inesse elucet.

Extremo loco *σοφὸς* etiam virtutes in civitatibus gubernandis vigentes continet, cujus usus exemplum oda Pythica secunda praebet, ubi loco supra laudato v. 71: *χὥταν πόλιν οἱ σοφοὶ τηρέωντι* vox *σοφὸς* vocabulis *τυραννὶς* et *λαβρὸς στρατὸς* opposita omnibus editoribus congruentibus nihil aliud quam bonum civem enuntiare potest. Accedit quod legimus Pyth. IV, v. 295:

ἔντε σοφοῖς — πολίταις.

Itaque Pindarus optimates eosdem dicit *σοφοὺς* et *ἀγαθούς*, sed ita ut iis, quos vocat *ἀγαθοὺς*, ex nobili gente natis quasi scopum, quem appetere oporteat, et corporis et mentis animique cultum proponat. Fortitudo enim et eximium ingenium ex Pindari sententia innata sunt; qui tamen ex humili genere originem ducit, frustra his virtutibus mentem accomodare studet, qua de re cf. Pindari vitam et artem tract. Bippartii pag. 86 et **Dronkii** libellum, qui inscribitur: Die religiösen und sittlichen Vorstellungen des Aeschylus und Sophokles p. 112. Ceterum uno loco notiones *ἀγαθοῦ καὶ σοφοῦ* Pindarus composuit Ol. IX, v. 28. Poëta postquam sese Gratiarum auxilio vatis gloriam nactum esse praemisit, etiam virtutem in rebus gerendis a diis nobis tribui Herculis exemplo allato contra deos luctari ausi demonstrat, qui locus

Pyth. I, 42 *σοφοῖς καὶ χερσὶ βιαταὶ* quodammodo explanatur. Sed sicut Pindarum a civitate populari longe remotum esse cognovimus, sic idem tyrannidem gravissimo odio persecutus est, quum bonorum civium imperium certum finem, ultra quem rectum consistere non posset, existimaret. Itaque Pindarus Pyth. XI, 52 pronunciat:

τῶν γὰρ ἀνὰ πόλιν εὑρίσκων τὰ μέσα μάσσονι σὺν
ὄλβῳ τεθαλότα, μέμφομ' αἶσαν τυραννίδων.

Sed Pindarus non solum unius ejusdemque reipublicae cives societatem inter se conjunctam formare, sed quo erat summo ingenio etiam in complures civitates juris conditionem amplificare studuit. Testis est praeclarissimum illud carmen, dico Nemeaeum septimum, quo inter Thebanos et Aeginetas conjunctionem, ut majore cum fructu impetus Atheniensium defendantur, quacunque ratione commendat. Ac primum quidem poëta quantum utilitatis foedus inter singulares homines factum afferat plane pronunciat inde a versu 86—90: — — — — *εἰ δὲ γεύεται ἀνδρὸς ἀνήρ τι, φαῖμεν κε γείτον' ἔμμεναι νόῳ φιλήσαντ' ἀτενεῖ γείτονι χάρμα πάντων ἐπάξιον.*

Et re vera, quid aptius, quid rebus quae tunc erant, accomodatius excogitari potuit, quam illa sententia? Nam quemadmodum in natura vires jam coalitae impedimentis multo melius resistere possunt, quam singulares, sic etiam homines cum vicinis consociati multo majora perficere possunt; quae ut rectius intellegamus, conferamus proverbia Latina: vis unita fortior, divide et impera, alia*) Inprimis autem civitates foedere congregatas confirmari principis potissimum opera necesse est. Nam principis est res praesentes ita regere et moderari, ut res, quibus futura felicitas paretur, quantum fieri possit, efficiantur; quod munus administrationis notione optime definitur omnes illas leges continentis, quibus futurus rerum praesentium usus confirmatur atque augetur id quod Pindarus praeclare versu 10 et eo, qui sequitur:

παίδων δὲ παῖδες ἔχοιεν αἰεί
γέρας τόπερ νῦν καὶ ἄρειον ὄπιθεν

expressit.

Videlicet talis homo per omnes aetates gloriam maximam paravit, quae nulla re mutari, nulla vi labefactari potest. Sic exempla

*) cf. etiam Aeschyl. Prometh. v. 39. *τὸ συγγενές τοι δεινὸν ἡ ξ' ὁμιλία.*

de Ajacis et Neoptolemi morte optime illustrantur, quorum alter tristis animi propter injuriam sibi illatam se occidit, alter etiam tunc divinis honoribus colebatur. Uterque apud Delphicum deum aeterno fruuntur honore, sic Sogenes Aegineta per Mnemosynen superstes erit; aliud inter gentes statutae societatis exemplum est in oda Pythica quinta propter permultas causas, quae cum Nemeaea septima comparari possit dignissima. Quum enim Aegidae ortu et civitate Lacedaemonii Carnea Cyrenis in honorem Apollinis instituerent (qua de re cf. **E. Curtii** histor. Graec. vol. I, p. 158 et **L. Prelleri** mythol. Gr. vol I, p. 198 et q. sq.), Cyrenas autem olim Antenoris Trojani posteri habitarent, hos, ne aegre ferrent terrae Lybiae occupationem, muneribus magnificis Battus ejusque socii donarunt (cf. Pyth. V, v. 82 et q. sq.) et solemnia ab indigenis celebrata cum Carneis conjungebantur. Itaque de Batto seu de Aristotele dici potuit v. 94 et 95.

μάκαρ μὲν ἀνδρῶν μέτα
ἔναιεν ἥρως δ' ἔπειτα λαοσεβής.

Atqui ne quis forte existimet, his solum terminis modo significatis juris notionem contineri, ita ut idea justi non commemoretur apud Pindarum, nisi nonnulli homines de aliqua re paciscantur, conferamus odam Pythicam primam inde a v. 56, quo poëta dicit: *νώμα δικαίῳ πηδαλίῳ στρατὸν* et pergit: *ἀψευδεῖ δὲ πρὸς ἄκμονι χάλκευε γλῶσσαν*, quod Dissen recte mihi interpretatus esse videtur, qui dicit: procude linguam in incude a mendaciis pura, ut sincera sit et a falso aliena, quo cum loco alius in carm. Nem. oct. inde a v. 32 iisque q. sq., componendus est, ubi Ajax secundum Achillem heros maximus in bello Trojano notissima illa lite propter arma Achillea exorta nihil armorum cepisse narratur. Quodsi poëta hinc facit praeclarissimam illam conjecturam, callidam persuasionem cum dolosis, jurgiosis, insidiosis vocibus conjunctam jam diu facinorum injustorum causam fuisse, ita ut aliquantum de veris hominum meritis detractum sit, quid aliud est, quod vates Thebanus his versibus demonstret, quam aliam justi notionis partem? Nam illum, de quo sententiae feruntur, ne ab aliis fallatur, ita ut homines aliter sentiant, aliter pronuncient postulare posse (quam culpam in se admittit qui blanditur, quod Pindarus voce illa, quam addidit vocabulo *πάρφασις*, *ἔχθρα* significare videtur) eodemque modo eum, qui palam non profitetur, quid alii contra aliquem hominem committere cogitent, juste

non agere nemo est, qui negare audeat. Jam inde recte ratiocinari possis, Pindarum etiam illis versibus in oda Nem. oct. ingeniosissime prolatis demonstrasse eum, qui aliquid praeclari fecerit, eximiis carminibus esse dignissimum eique, quem deceat, honores praestari oportere, quod postquam elegantissime gloriam virtute paratam cum arbore usque ad aërem procrescente composuit, vocabulis:

ἐν σοφοῖς ἀνδρῶν ἀερθεῖσ' ἐν δικαίοις τε (v. 41)

satis dilucide cognoscitur*). Accedit quod Pindarus v. 43 ejusdem carminis dicit:

— μαστεύει δὲ καὶ τέρψις ἐν ὄμμασι θέσθαι
πίστιν.

Etiam aliis locis, ut exemplum afferam Pyth. V, 43 et 44 vocibus:

ἑκόντι τοίνυν πρέπει
νόῳ τὸν εὐεργέταν ὑπαντιάσαι.

ei, qui civitati commodi aliquid attulit, quam lubentissime gratiam esse habendam poëta demonstrat. Deinde de incolis terrae Cypricae poëta non sine quadam animi sinceritate dicit Pyth. II, 17:

ἄγει δέ χάρις φίλων ποίνιμος ἀντὶ ἔργων ὀπιζομένα

et ejusdem carminis versu 24 pronunciat:

τὸν εὐεργέταν ἀγαναῖς ἀμοιβαῖς ἐποιχομένους τίνεσθαι.

Nec tantum vivis honorem praestare decet, laudes, virtutis praemia, etiam mortuis tribui vult idea justi, quod mirum quantam voluptatem apud inferos excitat cf. Pyth. V, v. 98 et q. sq. Eodem pertinet quod Pindarus Nem. III, 29 docet:

ἕπεται δέ λόγῳ δίκας ἄωτος ἐσλὸς αἰνεῖν:

adest autem verbo meo justitiae summum decus bonorum in laude positum. Invidiam autem, quam alter alteri infert, ita ut praemia a diis tributa alteri dari nolit, ideae justi repugnare consentaneum est, cf. Isthm. IV, 22:

— εἰ δὲ τέτραπται
θεοδότων ἔργων κέλευθον ἀν καθαράν,
μὴ φθόνει κόμπον τὸν ἐοικότ' ἀοιδᾷ
κιρνάμεν ἀντὶ πόνων.

*) De metaphorarum genere, quod ex agris iisque rebus, quae ex terra procreantur, originem ducit cf. praeclarum Lübbertii expositionem de eloc. Pindari p. 49.

Nam boni civis est, quod aliquis justum ducit, per omnia tempora et sub omni conditione facere nec cuiquam invidia deterrito, quod alteri se praebiturum esse pollicitus est, denegare licet. Contra homines nequissimos Pindarus libere dicit in oda Nem. quarta inde a. v. 35—42; conferas hunc potissimum locum:

— καίπερ ἔχει βαθεῖα ποντιὰς ἅλμα
μέσσον, ἀντίτειν' ἐπιβουλίᾳ

et paulo inferiore loco:

ἐμοὶ ὁποίαν ἀρετάν
ἔδωκε Πότμος ἄναξ
εὖ οἶδ' ὅτι χρόνος ἕρπων πεπρωμέναν τελέσει.

Nec minus calumniatorem, qui vulpium ritu alii homini aegritudinem inferre studeat, a Pindaro maxime vituperari e carm. Pyth. II, inde e versu 76 et ex iis qui sq. elucet; eodem modo is, qui de alio homine alia loquitur, ac quae hic pro meritis suis postulare possit, contra leges justi notione praescriptas agit, quamquam dolis paene nihil proficere potest. Immo tutum a talibus hominibus Pindarus sese semper ducit, qua de causa suavissime se cum cortice, qui in maris fluctus immergi non potest, comparat:

ἀβάπτιστός εἰμι, φέλλος ὣς ὑπὲρ ἕρκος ἅλμας.

Omnino, quod justum sit, semper superare Pindaro maxime persuasum est; nam quanquam homo dolosus atque fraudulentus nescio quid inhonestum de honesto viro se dixisse gloriatur, de vero honore ne aliquantulum quidem detrahere potest:

ἀδύνατα δ' ἔπος ἐκβαλεῖν κραταιὸν ἐν ἀγαθοῖς
δολιὸν ἀστόν.

Quid quod Pindarus etiam inimico laudem quam decet praebendam esse censet, quoniam in oda Pyth. nona proverbii illius notissimi a Nereo prolati memor est etiam inimicum omni cum studio et quatenus intra justi notionis fines consistere possit (*παντὶ θυμῷ σύν γε δίκᾳ*) praeclare res gerentem summis honoribus ess tollendum: nam ut ille honor inimico non contingat, quid est quod magis litem excitare possit; quanquam hoc loco Pindarum justi ideam cum aequi notione commutare cognoscimus, quae, ut suum cuique pro meritis detur postulat, sed ita ut eum, qui beneficium accepit, huic, qui beneficiis eum affecit, praemium dare opus sit, nec tamen, si cui injuria inferebatur, huic ipsi injuriam sibi illatam ulcisci licet, quod Pindarum in carm. Nem. quarto inde a v. 91—95 neglexisse perspicuum est. Quo

loco poëta in amicos quidem nullas alias res conferendas esse nisi beneficia, inimicos autem omni injuria afficiendos esse pronunciat, quo cum dicto accuratissime congruit, quod poëta Pyth. II, 84 protulit:

ποτὶ δ' ἐχθρὸν ἄτ' ἐχθρὸς ἐὼν λύκοιο δίκαν ὑποθεύσομαι.

Contra has sententias inter Graecos aetate Pindarica vigentes posteriore tempore Platonem in Georgia p. 479 E: *καὶ ἀεὶ τὸν ἀδικοῦντα τοῦ ἀδικουμένου ἀθλιώτερον εἶναι* inprimis in Critone pag. 49, in Socratis apolog. p. 26 verba fecisse, inter omnes notissimum est*). Sicut autem a mendaciis, calumniis poëta semper homines dehortatur, sic alibi virtutem his vitiis contrariam pudicitiam quam maxime commendat. Quem ad modum Venus pudorem supra Apollinis et Cyrenae torum (Pyth. IX, 12) expandit, sic etiam in rebus humanis virtutem illam vigere oportet. Verecundiam quasi omnis verae felicitatis fontem existimavit, quam ob causam etiam fine odae Olympicae tertiae donum nitidissimum pro Corintho urbe orat poëta:

Ζεῦ τέλει', αἰδῶ δίδοι καὶ τύχαν τερπνῶν γλυκεῖαν,

et quasi fructum justitiae v. 14 od. Pyth. supra laudatae existimavit. Sic prudentis hominis reverentia (*προμαθέος αἰδώς*) omnia gaudia hominibus impertit (Ol. VII, 44). Sol enim deus Rhodiis mandavit, ut proxime futurum officium observarent, imprimis ut diis sacrificarent. Verum enim vero Rhodii omnia vitia humana a sese non removerunt quoniam sacrificii obliti erant:

ἐπὶ μὰν βαίνει τε καὶ λάθας ἀτέκμαρτα νέφος
καὶ παρέλκει πραγμάτων ὀρθὰν ὁδὸν
ἔξω φρενῶν (v. 45 et 46).

Quotiescunque autem aliquis verecundiae et pudicitiae fit expers, summe deplorandus est, quod tamen haud raro lucri spe accidit (Nem. IX, 33), nonnunquam etiam numine divino, quod vates Thebanus in carmin. Pyth. quarto inde a versu 216 testatur, ubi ipsa Venus Medeam a pudore removet (*μάστιγι Πειθοῦς*)*). Nimirum quanquam opportuno tempore bene loqui summo decori est, nihilo secius saepenumero tacere multo praeponendum est loquendo, quia prudentia, ut verba retineantur poscitur, sed sic tantum, si alii homini fortasse loquendo aegritudo

*) Ceterum cf. Eurip. Med. v. 520 et 521 apud Nauckium.
*) Alibi Pyth. IX, 40 Pindarus dicit: *κλαΐδες σοφᾶς Πειθοῦς*.

inferatur, quod Pindarus in oda Nemeaea quinta demonstrat, ubi res, quas Peleus et Aeacus injuste gesserunt, leviter tantum attingit quum verba addat:

οὔ τοι ἅπασα κερδίων
φαίνοισα πρόσωπον ἀλάθει᾽ ἀτρεκής.
*καὶ τὸ σιγᾶν πολλάκις ἐστὶ σοφώτατον ἀνθρώπῳ νοῆσαι.**)

Atqui, ne forte existumes, Pindarum utilitatem, quam afferat inter conjuges consensus, ignorasse, videas, quid in carmine Pythico nono inde a versu quinquagesimo quarto exposuerit. — Quanto autem rectius Pindarus ipso Platone**) judicaverit ex versibus modo laudatis, quibus merito omnes res cum una uxore communicandas esse pronunciat, plane ac dilucide apparet. An vero societas artioribus vinculis conjuncta excogitari potest, quam quae est inter conjuges, quibus ut altera pars alteri omnia palam proferat, poëta praescribit. Sed quam ob rem ego in hac dissertatione, qua de notione justi apud Pindarum agitur, hunc locum diserte appello? Quia Pindarus in oda illa supra laudata, Chironem Centaurum illum sapientissimum atque hilarissimum dicentem facit, Cyrenae nymphae, quam ipse divus Apollo in matrimonium ducere concupivit, legalem partem Libyae esse donandam, vocabula dico: *ἔνθα νιν ἀρχέπολιν θήσεις* et cf. v. 55—59 inde a vocibus:

---

*) Huc quoque spectat vocabulum: *καιρός*, quod saepenumero legimus in cărminibus Pindaricis. Pindarus enim occasionem prosperam in omnibus rebus exspectandam esse docet. Itaque v. 47 et 48 od. Ol. XIII pronunciat: *ἕπεται δ᾽ ἐν ἑκάστῳ Μέτρον, νοῆσαι δὲ καιρὸς ἄριστος.*

Quem in locum cf. scholiastam hunc locum sic interpretantem: *τοῦτο δὲ αὐτὸ νοῆσαι τὸ τῆς συμμετρίας εὔκαιρόν ἐστι καὶ ἄριστον* i. e. opportunum et convenientem modum nosse optimum est. Si quis *καιρόν*: tempus alicui rei perficiendae idoneum reperit, id ad hominum invidiam depellendam ei inservit cf. Pyth. I, 81, quam ob rem *καιρὸς* sub justi notionem redigi potest. Prospera occasio omnes res perficit Pyth. IX, 81:

καιρὸς παντὸς ἔχει κορυφάν.

Idem Nem. I, 18:

πολλὺν ἐπέβαν καιρόν, ubi Pindarus sese multa praeclare perfecisse, nulla fraude commissa, profitetur. Denique dicta illa, quae laudentur, dignissima esse videntur *κατὰ καιρὸν*, Isthm. I, 22 Fragm. 100 initio apud Bergk. poëta dicit:

χρῆν μὲν κατὰ καιρὸν ἐρώτων δρέπεσθαι, θυμέ, σὺν ἁλικίᾳ,

etiam *παρὰ καιρὸν* legimus Pyth. X, v. 4 alibi.

**) conf. totum librum quintum Reipublicae, qua uxorum et liberorum communionem maxime commendat.

ἵνα οἱ χθονὸς αἶσαν. et q. sq. Quam civitatis partem Apollinem Cyrenae uxori eo magis dare oportuit, quia Cyrena et corporis venustate et fortitudine, quam pugnis cum feris commissis probavit (cf. v. 20 et q. sq. et v. 32), et castitate morum qua de causa Apollo ex Chirone quaerit, num fas sit, vi virgini appropinquare, (cf. v. 36) maxime floruit. Sed quanqunm jam inter conjuges angustissimis vinculis inter se conjunctos jura quaedam intercedunt, quae societatem illam sanciunt atque confirmant, liberis accedentibus et societatis conscientia et ratio illa juridica amplificatur. Quin etiam nulla societas, qua sinceriore modo res juridicae excoli possunt, excogitari potest! Nam quia parentes liberos genuerunt, quid est quod firmius homines inter se conjungere possit, quam cognationis conscientia, quid quod diutius, quid quod arctius? Unde colligitur, neminem indignum sese praebere illa conjunctione sine ulla specie necessitatis, benevolentia potius et bona fide formata, ita ut inprimis liberi summa cum reverentia, amore, obsequio quacunque ratione parentum felicitatem efficere studeant oportere*). Quapropter Pindarus recte in oda Pyth. sexta, qua Thrasybulum pro Xenocrate patre victoriam reportasse enarrat, quam ob rem cum Antilocho, Nestoris filio, comparatur, laudat verba Chironis Centauri primum Jovem omnipotentem honorari, deinde autem pares honores parentibus tribui jubentis cf. v. 23—27:

ταύτας δὲ μήποτε τιμᾶς
*ἀμείρειν γονέων, βίον πεπρωμένον***).

Ceterum vel ex iis quae diximus colligitur Pindarum ab eorum partibus stetisse, qui una uxore unumquemque contentum esse vellent; quod ut rectius intellegamus et penitus pernoscamus, con-

---

*) Legibus divinis apud Graecos homines constitutum erat, nunquam quidquam liberis plus commodi afferre, quam magni facere parentes, nihil plus incommodi, quam contumeliis insectari. Si quis forte nequissime seu parentes seu avios verberare audet, quisquis adest, scelus ulciscatur, si minus, irae caelestes in ejus modi hominem irrumpant cf. Plat. de legg. XI, p. 264, ibid. IX, p. 174: *ὁ μὴ ἀμύνων ἀρᾷ ἐνεχέσθω Διὸς ὁμογνίου καὶ πατρῴου κατὰ νόμον* et ad totam rem **Lasaulx**, de exsecratione apud homines Graecos et Romanos p. 9.

) Hos versus ex Chironis *ὑποθήκαις*, quae Hesiodo tribuebantur, scholiasta teste poëta promsit cf. **Lübbert, de eloc. Pind. pag. 8. — cf. etiam Isthm. I, 5: *τί φίλτερον κεδνῶν τοκέων*, ubi patriam urbem cum parentibus suavissime componit.

ferendum mihi esse videtur, quod vates Thebanus in carmine Pythico nono l. c. pronunciavit. Deinde, quia Hieronem, quae est Boeckhii eximia conjectura, in carmine Pythico altero, ne alius uxorem in matrimonium ducere concupiscat, Ixionis scelestissimi illius hominis exemplo allato mirifice dehortatur. Et profecto quid est, quod ad pacem domi semper sustinendam plus habeat praesidii et hominum juribus servandis magis inserviat, quam si quis unius tantum uxoris est maritus?

Denique quanti Pindarus rerum domesticarum et privatarum salutem duxerit egregie ex oda Isthmica quinta cognoscitur. Hercules enim quippe qui Telamoni hospiti tunc beneficia remunerari non posset, optimum quod alter alteri cupere potest, optavit, filium dico ad gentis gloriam propagandam idoneum. Itaque versu 44—46 Jovi supplicat:

νῦν σε, νῦν εὐχαῖς ὑπὸ θεσπεσίαις
λίσσομαι παῖδα θρασὺν ἐξ Ἐριβοίας
ἀνδρὶ τῷδε ξεῖνον ἀμὸν μοιρίδιον τελέσσαι.

Quibus rebus expositis, quid de justi notione, quatenus inter homines vigere oporteat exposuerimus, paucis colligamus.

Quoniam justi ideam in duarum voluntatum consensu ad litem vitandam positam esse cognovimus, quem in modum haec ratio in civitatibus gubernandis adhiberetur, in quibus vel principi praeclaris virtutibus, inprimis eximia sapientia praedito vel bonis civibus convenire summum imperium tenere intelleximus. Nec vero solum in una eademque civitate justi notionem florere, sed etiam in compluribus civitatibus leges illa notione constitutas consistere oportere poëta censet.

Sed ne his quidem rebus tota juris provincia continetur, sed etiam fidem, prudentiam, pudicitiam, sententiam illam ad aliorum virtutes agnoscendas omni modo paratam, denique conjugum, parentum ac liberorum condicionem ad hujus ideae praescripta pertinere necesse est.

Venio nunc ad *alteram* et ut mihi quidem videtur difficiliorem partem orationis meae atque justi notionis, qua, quae rationes inter deos et homines intercedant, quantum potero pertractabo; quas ut penitus pernoscamus, primum quem ad modum numina divina atque ipsi dii sese gerant, altero loco, quae officia hominibus in deos praestanda sint, demonstrandum esse existumo.

Pindarum atque Aeschylum primos inter Graecos, quibus

erant ingeniis amplissimis, unius tantum dei, qui omnes res humanas moderaretur tuereturque praesentiam divinasse, inter omnes notissimum est. Testis est Aeschylus in ea tragoedia, quae inscribitur: Supplices inde a v. 776, quo carmine a virginibus moto, quae summis angoribus cruciatae sunt, Aeschylus quantam fiduciam hae virgines in deo omnipotenti pro mente justissima tantas injurias pati nolente collocarint mirum in modum demonstrat. Quum enim in hoc carmine inde a v. 811 Aeschylus dicat:

> *— μάχιμα δ' ἔπιδε πάτερ*
> *βίαια μὴ φιλεῖς ὁρῶν*
> *ὄμμασιν δικαίοις.*

vel ex his versibus quantam fidem in Jove virgines posuerint cognoscitur. Quodsi vero poëta tragicus versibus proxime sequentibus vocabula pronunciat:

σεβίζου δ' ἱκέτας σέθεν γαιάοχε παγκρατὲς Ζεῦ,

quid aliud poëta sibi vult, quam neminem hominibus vexatis vere subsidio esse valere, nisi Jovem omnipotentem?

Dixi de Aeschyli loco, quo, quid ille de Jove omnipotenti cogitarit, percipitur. Jam videamus, quid de rationibus inter deos et homines intercedentibus Pindarus exposuerit. — Quodsi in priore hujus dissertationis parte certa esse carmina cognovimus, quibus totam de justi notione sententiam, quatenus inter homines repraesentetur, exponit, etiam in hac altera parte idem intellegemus. An quisquam aliam odam ac carmen Olympicum alterum mihi indicare possit, quo praeclarius deorum et hominum conditiones poëta explanaverit? Nonne etiam Plato in Phaedro dialogo (pag. 248 E et 249), quo quum de aliis rebus tum de animarum migratione agitur, hanc odam exemplar sibi proposuisse videtur? Sed priusquam ad singula transeamus, haud ineptum sit, de tota re pauca pronunciare. — Thero enim, Agrigentinorum rex, victor in ludis Olympicis, originem duxit a Cadmo, Oedipo, aliis Thebanis, etiam ab Emmene, cujus proles migraverat Agrigentum, ubi Thero tyrannidem occupavit inde ab Olymp. 73, 1 usque ad Olymp. 76, 4. Sortes Thebanorum, qui Agrigenti fuerunt praeclare mutatae sunt, ita ut et rebus secundis et adversis invicem uterentur. Nam quem ad modum Cadmus liberorum aerumnis graviter afflictus, honoribus divinis, qui liberis contigerant, rursus summe gavisus est,

sic Laii stirps ingentibus laboribus toleratis effloruit, quoniam Thersander gentis gloriam per omnes aetates propagavit. Etiam Thero jam quum imperium subiret multis laboribus perfunctus est, quia Capys et Hippocrates propinqui defecerunt ad Himerenses. Tum Hiero, Syracusanorum rex, propter filiam Theronis Damaretam a leviro Polyzelo vindicatam, ab Hierone autem in matrimonium desideratam de bello Theroni et Polyzelo inferendo cogitavit. Sed periculo feliciter averso, Capide et Hippocrate ad Himeram fugatis, pax inter Theronem et Hieronem reconciliata est. Nec vero solum pace firmata Thero usus est rebus prosperis ita ut honores, qui sunt hominis, acciperet, sed quia in Olympicis victoriam reportaverat splendidissimam numine Jovis omnipotentis paene divinis honoribus dignus existimatus est. —

Jam videamus, quomodo Pindarus has res ad sententias generales de vi ac potestate deorum divulgandas adhibuerit. Thero quoniam vicerat in ludis Olympiae celebratis, quid opportunius proferri potuit, quam Jovis, deorum et hominum patris gloriam praedicare, qui ex diuturna miseria ad summam felicitatem Theronem perduxit, quam ab causam vates Thebanus recte pronunciat:

ἀλλ᾽ ὦ Κρόνιε παῖ Ῥέας, ἕδος Ὀλύμπου νέμων
ἀέθλων τε κορυφὰν πόρον τ᾽ Ἀλφεοῦ.

Nam quamvis homines magnam injuriam committant, nihilo secius, qua sunt dii summa benevolentia, homines plane perire non sinunt; etiamsi illi et quod facere hominibus fas et quod nefas minime obliviscuntur (*τῶν δὲ πεπραγμένων ἐν δίκᾳ τε καὶ παρὰ δίκαν*), tamen rursus gaudia praebent hominibus. Itaque Pindarus v. 15 et 16.

ἐσλῶν γὰρ ὑπὸ χαρμάτων πῆμα θνάσκει
παλίγκοτον δαμασθέν,
ὅταν θεοῦ Μοῖρα πέμπῃ
ἄνεκας ὄλβον ὑψηλόν,

quae elocutio a lancibus librae ducta esse videtur. Fortuna Emmenidarum quasi sursum effertur, fato omnia rectissime et justissime moderante, quod exemplo Semelae Cadmi filiae probatur, quam omnes dii immortales summe dilexerunt. Sed quanquam hoc loco poëta de fato res humanas dirigente verba facit, apposito vocabulo *θεοῦ* deos, si minus fatum dirigere, at certe ali-

quantum apud fatum posse satis luculenter apparet. Quodsi vel ex his, quid inter deos et Parcam intersit, ut hoc vocabulo *Μοῖραν* in sermonem Latinum convertam, cognovimus, planius tamen fit atque dilucidius ex loco paulo inferiore, qui est v. 35 et qui inde exstant. Postquam enim vias, quibus fatum ingreditur, inter sese diversas esse pronunciavit, ita ut fatum aequitatis et remunerationis ratione habita tum fortunam prosperam tum adversam praebeat hominibus, versibus modo laudatis Parcam divina facultate praeditam sortes humanas regere perspicuum est. Deinde Pindarus:

οὕτω δὲ Μοῖρ', ἅτε πατρώϊον
*τῶν δ' ἔχει τὸν εὔφρονα πότμον, θεόρτῳ σὺν ὄλβῳ**)
ἐπί τι καὶ πῆμ' ἄγει παλιντράτελον ἄλλῳ χρόνῳ.

Jam est eo res adducta, ut et nominis substantivi *μοῖρα* et proprii *Μοῖρα* usum apud Pindarum paucis illustremus, quod vocabulum apud hunc poëtam sententiam accipit cum justi notione congruentem.

Vocabulum Graecum *μοῖρα* a verbo *μείρομαι* derivandum esse, unde etiam *μέρος* quod in sermone Latino dicimus partem, tota re opposita, *μερίζω*, *μόρος*, *μόρσιμος* originem ducant, nemo est, quem fugiat. Ut unum tantum exemplum afferam ex Homeri carminibus heroicis depromptum, est in Iliadis libro XVI v. 68: *χώρης ὀλίγην ἔτι μοῖραν ἔχοντες*, apud Thucydidem cap. X lib. I: *Πελοποννήσου τῶν πέντε τὰς δύο μοίρας νέμονται*, apud Pindarum quoque legimus Pyth. I, 99

τὸ παθεῖν εὖ πρῶτον ἄθλων, εὖ δ' ἀκούειν δευτέρα μοῖρα.

Eandem sententiam habent loci: Ol. VII, 94: *ἐν μιᾷ μοίρᾳ χρόνου* et ejusdem odae v. 76 *ἀστέων μοῖραν* alii. — Deinde vox *μοῖρα* fere significat portionem i. e. eam partem, quam cuique contingere oportet, ne lis oriatur, ita ut id vocabulum sententiam teneat judicialem. Jam apud Homerum legimus Odyss. XX, v. 260: *πὰρ τ' ἐτίθει σπλάγχνων μοίρας*, similia etiam Odyss. XV, 140; XX, 293 alibi. Apud hunc poëtam de Hieronis sortibus dictum est: *τὶν μοῖρ' εὐδαιμονίας ἕπεται* (Pyth. III, 84). Deinde carm. Isth. III, v. 10 exstat:

ἔστι διδύμων ἀέθλων Μελίσσῳ

---

*) Cum divinitus missa felicitate.

μοῖρα πρὸς εὐφροσύναν τρέψαι γλυκεῖαν
ἦτορ,

carm. Olymp. oct. v. 86: *ἀμφὶ καλῶν μοίρᾳ*, fragm. 171, v. 3: *καλῶν μοῖραν τε τερπνῶν*, Ol. VI, 79: *ἀγῶνος ἔχει μοῖραν*, Pyth. XII, 12: *λαοῖσι μοῖραν ἄγων*, Nem. IX, 29: *μοῖραν εὔνομον ὀπάζειν*. Quodsi locos modo laudatos diligentius examinamus, capita quaedam quaestionis nostrae reperiri non est quod difficile demonstretur. Sin vero versus proxime prolati animo considerantur, quibus Perseum lucri partem genti dedisse enarrat atque ut Chromius, qui Hierone duce bella agitabat, exempli causa contra Poenos portionem sibi convenientem accipiat, vota facit, hos locos sub justi vel potius dicam aequi notionem, ut suum cuique merito contingat, postulantem subigendos esse, nemo est, qui neget. Hinc facile intellegas vocabulum *μοῖρα* etiam sortem fato destinatam significare, cujus usus testes sunt versus Homerici Ilias VII, 52; XV, 117; XVI, 434; poëtae tragici ut exemplum afferam ex Persarum tragoedia Aeschylea: *στυγερᾶς μοίρας τῆσδε κυρήσας* v. 873, ubi *μοῖρα* adjectivo *στυγερὰ* apposito mortem significat, quanquam vocum *μοῖρα* et mors cognatio legibus ex linguarum comparatione constitutis non confirmatur; deinde in ejusdem Aeschyli tragoedia, quae inscribitur Agamemnon, v. 1441 legimus: *μηδὲν θανάτου μοῖραν ἐπεύχου*, Medeae Euripideae versu 981 nobis traditum est: *μοῖραν θανάτου προσλήψεται*. Denique apud philosophos et rerum gestarum auctores non pauca exempla exstant, quibus talem vocabuli usum cognoscamus (cf. Papii lexicon s. v. *μοῖρα*). Apud hunc quoque poëtam legimus vocem *μοῖρα* eadem sententia usurpatam Pyth. X, 17 iisque q. sp. Carmen quum dedicatum esset Hippocleae Thessalo, cujus pater Phricias bis in ludis Olympicis, semel in Pythicis vicerat, Pindarus, ut solet, laudat Phriciae eximiam felicitatem, qui opibus fortunatus sit et quum ipse victorias praecipuas reportarit etiam nunc filium videat tenera aetate coronatum. Quid igitur poëta praeclarius afferre potuit, quam ut non in praesens tantum tempus, sed etiam in posterum fortuna secunda maneat maneantque nutu deorum omnipotentium illae opes cum virtute conjunctae, vota facere. Itaque existimo loco laudato vocabulum *μοῖρα* nihil aliud significare, nisi sortem prosperam fato tributam, quod quidem ipsa Pindari verba praeclare confirmant:

ἔσποιτο μοῖρα καὶ ὑστέραισιν
ἐν ἁμέραις ἀγάνορα πλοῦτον ἀνθεῖν

cf. etiam vers. vices.: — *μὴ φθονεραῖς ἐκ θεῶν μετατροπίαις επικύρσαιεν**).

---

*) Vocis *μοῖρα* usu paucis exposito vim vocabulorum *μοιρίδιος*, *μόρος*, *μόρσιμος* breviter explicemus. *Μοιρίδιος* i. e. fatalis, fato immissus aut datus, apud Pindarum et prosperam et adversam sententiam accipit: *ξεῖνον ἀμὸν μοιρίδιον* Isthm. V, 43 significat portionem hospiti convenientem, quam ei pro justi notione contingere oporteat, fati legibus. Sed quum Pyth. IV, v. 255 compares, ubi poëta dicit: *μοιρίδιον ἦμαρ* vocabulum *μοιρίδιον* sententiam accipere contrariam elucet, quoniam *μοιρίδιον ἦμαρ* nihil aliud enuntiat, quam diem supremum. Quod tamen de voce *μοιρίδιος* dictum est, idem valet de vocabulo simillimo *μόρσιμος*. Sic ut exempla afferam e carminibus Homericis Odyss. XVI, v. 372 Penelope procis libere profitetur, eum solum maritum vere sese amaturam esse, quem fatum tribuat, quoniam Penelopae maxime persuasum fuit justum conjugem mox rediturum esse. Itaque legimus l. c.

— — ἦ δέ κ' ἔπειτα
γήμαιθ' ὅς κε πλεῖστα πόροι καὶ μόρσιμος ἔλθοι.

Deos autem fati consiliis non esse subjectos Homerus quoque, quanquam prisca aetate fuit, divinatus est, quod ex notionis *μόρσιμος* usu cognosci potest. Quum enim Il. XXII, 13 Apollo ad Achillem dicat:

οὐ γάρ με κτανέεις, ἐπεὶ οὔτοι μόρσιμός εἰμι:

non enim me interficies, siquidem nequaquam mortis fato obnoxius sum et Il. XV, 613 Minerva fatalem mortis diem in Hectorem inmissit, deos fati administratores fuisse ex his satis luculenter apparet.

Quodsi ex Homeri carminibus discrepantiam quandam, qui est usus vocabuli *μόρσιμος*, esse intelleximus, idem ex poësi Pindarica demonstrabo. Quum enim his locis Pyth XII, 30; Nem. VII, 44; Isthm. VI, 41 diligenter comparatis *μόρσιμον* aliquid infausti fato destinatum significare appareat; si contra Ol. II, 11 animo consideraris *αἰὼν μόρσιμος* felicem vitam fato tributam esse cognosces. Denique uno loco Nem. IV, 61 legimus:

καὶ τὸ μόρσιμον Διόθεν ἔκφερεν

ubi Hippolytam quidem Acasti mulierem per dolum atque insidias Peleum, quem ad stuprum perduxerat, interficere studuisse; Chironem autem nutu Jovis summa aequitate atque justitia semper dijudicantis, qui nullo modo corrumpi possit, hoc scelus ultum esse poëta enarrat, qua ex re iterum Jovem fatum dirigere cognoscitur. — Extremo loco brevissime vocem *μόρος* commemoremus, quae semper res adversas et fato et a Jove missas significat. Ut pauca tantum afferam exempla ex carminibus Homeri, Achilles ad Xanthum equum dicit: Il. XIX, 421:

εὖ νύ τοι οἶδα καὶ αὐτὸς ὅ μα μόρος ἐνθά δ' ὀλέσθαι.

Quocum dicto congruit Il. 18, 465 ubi Vulcanus ad Thetidem verba dirigit ad Achillem spectantia:

αἴ γάρ μιν θανάτοις δυσήχεος ὧδε δυναίμην
νόσφιν ἀποκρύψαι, ὅτε μιν μόρος αἰνὸς ἱκάνοι
ὡς οἱ τεύχεα καλὰ παρέσσεται.

Quibus rebus expositis transeamus ad vim et potestatem Parcarum, quae sunt in mythologia Graeca *Μοῖραι*, paucis exponendam.

Μοῖρα vel quam deam in sermone Latino dicimus Parcam numen esse divinum, quod cuique homini sortem det aut prosperam aut adversam, quisquis Homeri carmina diligentius tractavit, non ignorat. Homerus fatum, qua est summa potestate, res humanas dijudicare, praeter ceteras autem res vitae humanae tempus, quod sibi videatur, destinare, ita ut ne dii quidem fati consilia mutare valeant omnino existumat cf. praecipue Odyss. III v. 236—238 et **Nitzschii** explicatt., ad h. l., Il. 18, v. 117; deinde Il. 19, v. 417 alios. Nec tamen haec sententia, quam homines docti ex Homeri carminibus statuerunt, inconstantia caret, quoniam jam apud Homerum legitur: *Μοῖρα θεῶν* Od. 3, 269; 22, 413; *Μοῖρα θεοῦ* Od. 11, 292, ita ut dii fati consilia dirigere et ad certum finem perducere videantur, cf. Prelleri mythol. Graec. I, p. 412 et inprimis **Naegelsbachii** theol. Homer. edit. alter. p. 120 sq.

Aetate autem posteriore poësis Graecae subinde aliae sententiae exortae sunt, quae si minus prioribus sunt oppositae at certe fati notionem aliquantum amplificant. Hesiodi carmen, quod inscribitur Theogonia quis nescit, cujus versu 217 tres Parcae: *Κλωθώ, Λάχεσις, Ἄτροπος* appellantur. Platonis rempublicam quis ignorat, ubi decimo libro p. 617 C Parcas mundi ordinem administrantes describit, quae filiae Necessitatis in sellis altis sedentes candidis vestibus ornatae nent, ut ita dicam, filum vitale! Sed de hoc quidem hactenus. Jam quid Pindarus de Parcae vel potius dicam de Parcarum vi explanaverit paucis illustremus.

Etenim postquam supra ex oda Olympica secunda Parcam justi atque aequi notionis accuratissime ratione habita sortes humanas ad certam normam redigere intelleximus, jam nobis propositum est, ut naturam ejus numinis divini, quod Graeci dicunt *Μοῖραν*, in aliis odis a vate Thebano compositis mente comprehendamus. Quodsi animo repeto, venit mihi in mentem dicti illius

---

quo loco *μόρος* idem est atque *θάνατος*. Aliis locis Odyss. XI, 617 *κακὸς μόρος* in sermonem Latinum vocabulis: „vita infelix“: transverti potest: Jovis numine nobis accidit Il. VI, 357. Apud Pindarum autem *μόρος* nihil aliud significat quam mortem fato constitutam, quod Olymp. 13, 87; Pyth. 3, 58; Nem. I, 66 egregie atque elegantissime confirmatur.

Nem. VII nobis traditi, ubi ut unicus homo totam felicitatis copiam amplectatur fieri minime posse poëta his demonstrat:

— τυχεῖν δ' ἓν ἀδύνατον
εὐδαιμονίαν ἅπασαν ἀνελόμενον;

quibus dictis Pindarus pergit in oratione v. 56 iisque, qui sq.:

— οὐκ ἔχω
εἰπεῖν, τίνι τοῦτο Μοῖρα τέλος ἔμπεδον ὄρεξε,

qui versus, quanquam Parcam sortes humanas dirigere plane ac dilucide pronunciant, nihilo minus non sic accipiendi sunt tamquam si Parca omnibus legibus absoluta prorsus libera suo tantum arbitrio omnes res moderetur, quod quidem Pindarus, qua est summa in deos imprimis in Jovem reverentia, minime putavit (cf. inprimis Pyth. V, 76, ubi Parcae consensus cum diis confirmatur et locos ex carm. Ol. II prolatos). Atqui jam apud Hesiodum in theogonia nomina trium Parcarum legimus; apud Pindarum tamen tres Parcae nominatim non enunciantur, sed de earum potestate accuratius quam Hesiodus, vates Thebanus, qui priore aetate fuit, disseruit. Parcas enim*) Pindarus tales finxit, ut totum rerum ordinem in natura positum et in ea natura, quae vera est, et in iis rebus, quae ad hominum mores spectant, servent atque confirment. — Venit mihi in mentem praeclarissimi illius loci in oda Olympica decima (apud Bergkium) nobis traditi. Nam sicut alibi Pindarus in puerorum eximiorum partu, quo spectat Nem. VII initium:

Ἐλείθυια πάρεδρε Μοιρᾶν βαθυφρόνων

Parcas ipsas adstare, vitae cursum daturas existimavit, sic has eo loco adesse censuit, ut Olympiorum fortunam per omnia tempora illustrem et ordinem statum immutabili lege sancirent. Itaque Pindarus v. 51 et iis, qui sq.:

ταύτᾳ δ' ἐν πρωτογόνῳ τελετᾷ
παρέσταν μὲν ἄρα Μοῖραι σχεδόν
ὅτ' ἐξελέγχων μόνος
ἀλάθειαν ἐτήτυμον
χρόνος.

Quod autem hic tempus cum Parcis angustissime conjunctum appellatur, hoc mihi demonstrare videtur, quidquid homines judicent, historiam semper juste atque aeque dijudicare, quam ob cau-

*) cf. Preller. myth. Gr. vol. I, p. 415.

sam Pindarus recte addidit: *ἀλάθειαν ἐτήτυμον* scil. *ἐξελέγχων*. Qua ex Parcarum natura, quam modo explanare conatus sum, has ab omni scelere atque injuria, quam aliquis contra cognatos vel affines committit, abhorrere cognoscimus, quod quidem Pindarus Pyth. IV, 145 sic expressit:

Μοῖραι δ' ἀφίσταντ', εἴ τις ἔχθρα πέλει
ὁμογόνοις, αἰδῶ καλύψαι.

Substantivi *μοῖρα* ac nominis proprii *Μοῖρα* vi apud hunc poëtam in medium producta, sequitur, ut notiones: *τύχα, πότμος, αἶσα* paucis illustremus. Vocis *αἶσα* apud Pindarum usum ut accuratius intellegamus, non abs re mihi esse videtur, a quanam radice vocabulum derivandum sit, paucis enunciare. Quae quidem est Curtii in etymol. Gr. elementis sententia explicata, *αἶσα* ab eadem radice, a qua *ἴσος* vel *ἐΐσος, ἴσκω* vel *ἐΐσκω* deducitur; et re vera si in Iliadis libro nono v. 318 legimus: *ἴση μοῖρα* idem in Odyss. libro XX, v. 282, *ἴση* sine adjecto vocabulo *μοῖρα* Il. 11, 705; 12, 423, Od. 9, 42 deinde apud posterioris aetatis poëtas: *ἴσον μέρος*: ut exemplum afferam ex Aristophanis Pluto v. 225, denique si usum vocabuli proxime appellati cum eo, qui est vocabulo *αἶσα* diligentius comparavimus, Curtium rectissime vocem *αἶσα* explicasse apparet. Itaque non magna opera in hunc usum cognoscendum collata *αἶσα* primum portionem, quam quemque alicujus rei habere decorum est, significare elucet. Sic apud Homerum legimus in Odyss. libro V, v. 40: *λαχὼν ἀπὸ λῆΐδος αἶσαν*, in Od. libro undevicesimo, v. 84: *ἔτι γὰρ καὶ ἐλπίδος αἶσα*; in hymno Cereri dedicato v. 482; *ὁμοίαν αἶσαν ἔχει*. Jam videamus, num etiam in hujus poëtae carminibus talem vocabuli usum cognoscamus.

Ac primum quidem huc spectant loci, quibus *αἶσα* decorum aliquid significat, quod inter fines justi notione praescriptos consistere potest. Sic exempli causa legimus in oda Pythica nona v. 58, ubi de jure uxoris proprio Pindarus verba pronunciat: *χθονὸς αἶσαν ἔννομον*, qua ex re *αἶσα* habere vim ex justi notione exortam plane elucet; hac ratione accipiendi sunt versus 25 et 26 od. Pyth. decimae, in qua Hippocleae pater beatus appellatur, quia vivus filium coronis jure (*κατ' αἶσαν*) ornatum aspexerit et odae Pyth. octav. v. 13, quo Porphyrionem quendam leges justi notione praescriptas, ut suum quisque acciperet, ignorasse, poëta enarrat. Ceterum jam ex Homeri carminibus hanc vocis senten-

tiam cognoscimus; cf. Il. VI, 333, X, 445 alibi. Hinc quibus in aliis rebus vocabulum *αἶσα* poëta adhibuerit, facile intellegas. Etiam portionem alicui destinatam *αἶσα* significat, quam Juppiter vel alius deus nobis tribuit, quapropter cf. Pyth. IV, 107, quocum loco odae Nemeaeae tertiae v. 16 comparari potest. Dicit enim poëta Aristoclidem Aeginetam Musae gratia in ludis Nemeaeis victoriam reportasse, ita ut notione *αἶσα* nihil aliud poëta exprimat, quam favorem a Musa benevolentissime datum, ut Aristoclides victor nuncuparetur. Deinceps, qui est odae Pythicae tertiae versus sexagesimus, ex tota sententiarum collocatione *αἶσαν* esse sortem a diis hominibus datam cognoscitur. Non insolenti mente, quod nobis contingere non possit, a diis esse appetendum poëta dicit; immo infirmitatis humanae nos conscios esse oportet, quod planius fit atque dilucidius ex carm. Olymp. IX, v. 42:

αἰολοβρόντα Διὸς αἶσᾳ
Πύῤῥα Δευκαλίων τε Παρνασσοῦ κατβάντε
*δόμον ἔθεντο πρῶτον**)

praeterea cf. Ol. VI, v. 102: *θεὸς κλυτὰν αἶσαν παρέχοι*, Pyth. 1, 68 supplicat Pindarus, qua est mente in Jovem sincerissima, ut gloriam per omnes aetates civibus et regibus servet atque augeat, Nem. 6, 13 de Alcimeda, qui adolescens summam gloriam reportavit, poëta enarrat:

ταύταν μεθέπων Διόθεν αἶσαν.

Denique si praeclarissimum illum locum ex ea fragmentorum parte, quae inscribitur: *θρῆνοι*, fragmentum dico 108 apud Bergkium, hic laudo, ubi, quantopere Pindarus animae immortalitate confisus sit, elucet, ita ut homini divinum aliquid nullo modo delebile inesse Pindarus arbitretur, vocubula illa, quibus carmen incipit:

ὀλβίᾳ ἅπαντες αἴσᾳ λυσίπονον τελευτάν

id momenti mihi habere videntur, quae est deorum benevolentia ac caritas infinita, omnes homines ad aeternam animi tranquillitatem pervenire, quapropter *ὀλβίαν αἶσαν* hoc loco prosperam sortem a diis datam, significare arbitror.

Sed quoniam *αἶσαν* primum portionem alicui tributam, deinde sortem a diis hominibus datam cognovimus, reliquum est, ut eum

---

*) *Διὸς αἶσα* Il. 9, 608; hymni in Cererem v. 301; Apollon. Rhod. Argon. 4, v. 1254, Il. 19, 421; Od. 3, 269. 9, 52; Naegelsbachii Theolog Hom. pag. 113 et sq.

hujus vocabuli usum apud Pindarum, quo *αἶσα* fortunam prosperam, quam homo ipse parat, enunciare videtur, paucis illustrem. Etenim si locos huc spectantes diligentius examinaverimus, ex odae Nemeaeae sextae versu 49 *αἶσαν* nihil aliud esse, nisi sortem prosperam, quam Aeacidae Aeginae pepererunt, ita ut per totum orbem terrarum illo tempore cognitum Aeginae praestans florensque fortuna vigeret, cognoscitur. Idem est versu 84 odae Isthmicae primae: *γαρύσομαι ἀγακλέα αἶσαν* i. e. laudibus efferam gloriam et salutem, quam Asopodorus factis confirmavit. Denique quod Pyth. XI, 53 legimus: *αἶσαν τυραννίδων* est: sors, quae omnino tyranno contingit seu rationes, quibus tyrannorum vita continetur.

Tertio loco quid vocabulum *πότμος* apud Pindarum sibi velit, paucis animo consideremus. Vox *πότμος*, quamvis, quae est origo, cum vocabulo *μοῖρα* comparari possit, nihilo secius, quae est sententia, aliquanto distat. Nam quoniam *μοῖραν* saepenumero apud Pindarum sortem a diis hominibus tributam significare cognovimus, vocabulo *πότμος* hanc vim inesse paene nunquam intellegemus. Quodsi, unde illa notio deducenda sit, indagamus, vocabulum *πότμος* cum radice *πετ*, quae est in verbis: *πέτομαι, πίπτω*, quod ex *πι-πετω* ortum est, ita ut in sermonem Latinum notione casus vel fortunae transverti possit, componendum esse elucere puto. Itaque quem ad modum casus in sermone Latino adhibetur pro notionibus simillimis: res adversae, summus dies, mors, sic apud Homerum vocabulum *πότμος* cum notionibus modo allatis congruere apparet cf. Il. IV, 396, ubi de Tydeo narratum est: *τοῖσι ἀεικέα πότμον ἐφῆκεν*, Odyss. 19, 550 de Ulixe: *μνηστῆρσιν ἀεικέα πότμον ἐφήσω*, Il. 6, 412: *πότμον ἐπισπεῖν*, Odyss. 11, 197 alios locos. Apud Pindarum autem est quaedam varietas sententiae in vocabuli *πότμος* usu, quoniam *πότμος* et persona et res fingitur. Quid? nonne legimus Nem. 4, 42: *ὁ Πότμος ἄναξ*, quo de loco jam supra verba fecimus, quoniam ex Pindari sententia invidiam ideae justi repugnare, tempus autem merita, quae fortuna tribuat, in medium prolaturum esse demonstravimus. Deinceps legimus Pyth. 3, 86: *ὁ μέγας πότμος δέρκεται τύραννον*, ubi sortem, quae regi contigit, prosperam dicit poëta; fortasse etiam huc pertinent Nem. V, 40: *πότμος συγγενὴς* et Isthm. I, 39: *ὁ πότμος συγγενὴς* i. e. fortuna jam nobis nascituris destinata, quae significatio mirifice cum vocabulo Latino: Genius congruit, ita ut his locis *πότμος* personae vim ac potestatem quodammodo accipiat.

Deinde *πότμον* apud Pindarum omnino fortunam vel casum significare Nem. VI, v. 6 cognoscitur, ubi diis omnipotentibus rerumque humanarum peritissimis homines fortunae temeritate jactati opponuntur: — *οὐκ εἰδότες*

ἄμμε πότμος τίς τίν' ἔγραψε δραμεῖν ποτὶ στάθμαν.

Idem legimus Pyth. V, 3: *πότμου παραδόντος*, ubi fortunae auxilio opes vere salutares fore Pindarus enunciat. Denique Nem. VII, 6 quantum Ilithya Parcarum filia, quae omnes res justissime moderatur, a casu caeco differat, demonstratur: *εἴργει δὲ πότμῳ ζυγένθ' ἕτερον ἕτερα.* Tum *πότμος* et fortunam prosperam, quam vim *πότμος* habet Ol. II, 20: *πότμῳ σὺν εὐδαίμονι*; ibidem v. 40: *τὸν εὔφρονα πότμον*: et adversam pronuntiare videtur, cujus quidem usus unum tantum exemplum afferre possum ex odae Olympicae undecimae fine: *ἀναιδέα πότμον*, sic enim ex Theognidis versu 207: *θάνατος ἀναιδὴς* statuendum esse censeo.

At quanquam omnibus locis modo laudatis *πότμον* vel ut Latine dicam, casum a diis dirigi nusquam cognovimus, nihilo secius nonnulli loci exstant, ex quibus quasdam rationes inter casum (*πότμον*) et deos intercedere conjicias. Sic Castores vicissim et apud Jovem in Olympo et sub terra deorum immortalium numine commoratos esse Pindarus tradit, quum dicat: *πότμον ἀμπιμπλάντες ὁμοῖον* Nem. X, 57; Isthm. VI, 25 Martem Strepsiadi Thebano victoriam tribuisse Pindarus enarrat, qua in re enuncianda vocabulo *πότμος* usus est:

χάλκασπις ᾧ πότμον μὲν Ἄρης ἔμιξεν.

Denique uno loco memoratu dignissimo, quo modo fortuna mire homines deorum tutelae tradat Olymp. VIII, 15 iisque qui inde sq. pronunciat:

— ὕμμε δ' ἐκλάρωσεν πότμος
Ζηνὶ γενεθλίῳ, ὅς κε — θῆκεν Ὀλυμπιονίκαν.

Quae quum ita sint, *πότμου* notionem Pindaricam paene nullius esse momenti ad ideam justi, quatenus a diis efficiatur, declarandam intelligimus. Age vero, quid vocabulum *τύχα* sibi velit, quantum possumus, explicemus.

Vocabulum *τύχα* vel *Τύχα*, quod nunquam exstat in carminibus heroicis majoribus, quorum auctor Homerus judicari solet, primum legimus in hymno Homerico Cereri dedicato, ubi versu 421 Corae familiaris appellatur, postea in theogonia Hesiodea, ubi

Fortunae filia ab Oceano originem ducit*). Apud Pindarum, quod vel ex radice τυχ intelligi postest, vox casum inprimis fortunam secundam enuntiare videtur. Atque ut a vera et propria vocis significatione faciamus exordium, τύχαν Latino vocabulo casus transverti posse apparet ex fragm. 14 apud Boeckhium ab Aristide servato, ubi est: ἐν ἕρμασιν δὲ νικᾷ τύχα οὐ σθένος. Paene idem legimus in oda Isthmica tertia, ubi v. 49 pugnantium sortem aeterno silentio esse obrutam, priusquam ad summam gloriam pervenirent, poëta demonstrat (Deinde σὺν τύχᾳ eandem sententiam habet Nem. V, 48 et Isthm. VII, 67). Altero loco vocem τύχα fortunam prosperam significare paucis erit demonstrandum. Legimus enim in carmine Olympico decimo quarto, Gratias, de quibus infra verba faciam, levibus pedibus incedere ob victoris prosperam fortunam: — τόνδε κῶμον ἐπ' εὐμενεῖ τύχᾳ

κοῦφα βιβῶντα.

Deinde in carmine Pythico nono versu 72 Telesicratem praeclara usum esse fortuna (εὐθαλεῖ συνέμιξε τύχᾳ). Sed aliis locis, quibus apud Pindarum reperimus vocem τύχα, diligenter compositis omnium sortium seu prosperarum seu adversarum auctores esse ipsos deos, quoniam dii, inprimis Juppiter, omnipotentes sint, qui soli homines beatos reddere et servare possint, qui omnes res suo arbitrio moderentur ac dirigant, satis elucet. Itaque poëta supplicat Jovi, ut Xenophonti Corinthio semper tribuat pudorem, omnium virtutum fundamentum, qui solus hanc ob causam veram felicitatem parare valeat Olymp. XIII fine:

Ἄνα, κούφοισιν ἐκνεῦσαι ποσὶν

Ζεῦ τέλει', αἰδῶ δίδοι καὶ τύχαν τερπνῶν γλυκεῖαν.

(quem locum variae et liberioris constructionis exemplum laudavit Lübbert l. c. pag. 22. Nam poëta postquam in priori membro infinitivum ἐκνεῦσαι tanquam imperativum posuerat, in altero membro imperativum usurpavit). — Eodem pertinent Pyth. VIII, v. 71 et 72:

— θεῶν δ' ὅπιν

ἄφθιτον αἰτέω, Ξένάρκες, ὑμετέραις τύχαις

et quod semel legimus atque saepius: σὺν θεοῦ τύχᾳ, τύχα θεῶν, τύχα δαίμονος, ita ut τύχα hac in sententiarum conjunctione con-

---

*) cf. Gerhardii mythol. Gr. vol. I, pag. 119, 589 et q. sq., Preller. myth. Gr. vol. I., pag. 422.

silium divinum significare videatur, unde *Τύχαν* personam esse appellatam facillime intellegas, quae sententia ad normas justi notione praescriptas propius accedit. Pindarus enim Olymp. XII initio deam *Τύχαν* unam ex Parcarum numero nominatim vocavit, nec sine consilio quodam praeclaro illam adjecto vocabulo *Σώτειρα* poëta ornasse videtur, quoniam filia est ipsius Jovis liberatoris (*Ζηνὸς Ἐλευθερίου*) quam quidem ob rem terra marique homines adjuvat, ita ut naves, quae in mari sunt, dirigat et in terra domi militiaeque omnibus rebus loca tribuat. Itaque Pindarus in fragm. XV apud Bergk. *τὴν Τύχην φερέπτολιν* invocat (cf. Pausaniae lib. IV, cap. 30, p. 6). Qua cum sententia convenit, quod Plutarchus in libello, qui de fortitudine Romanorum inscribitur, dixit cap. X; denique huc pertinet, quod Pausanias VII, 26, 8 pronunciat, ubi Fortunam Parcis sororibus superiorem dicit (*ὑπὲρ τὰς ἀδελφάς τι ἰσχύειν*), unde Bergkius Pindarum peculiari carmine Fortunam celebrasse recte collegisse videtur. Ergo *Τύχα* est his omnibus locis proxime laudatis nuntia Jovis omnipotentis, quae omnia ejus mandata religiosissime perficit ad communem salutem, ita ut loco summi judicis ejus vota ad certum finem perducat.

Quaestione de vi notionum *μοῖρα, αἶσα, πότμος, τύχα* ad finem redacta Pindarum quanquam Homeri atque Hesiodi similitudini genus dicendi accomodarit, nihilo minus suo jure stetisse, ita ut philosophiae moralis praescriptis sententiae pervulgatae corrigantur, quod sit hujus poëtae eximium ingenium, maxime consentaneum est. Quid autem magis ex ipsa rei natura intelligitur, quoniam jus atque aequitas in Pindari mente religiosissima viguerunt, quam illas notiones atque numina divina, quae, ut ita dicam, earum partes susceperint, justi atque aequi ideis esse emendata?

Sed redeat, unde exorta est oratio. Quum in eo sit, ut odam Olympicam alteram interpretemur, pro sententiarum ordine, a Pindaro observato, primum de notionum *μοῖρα, αἶσα, πότμος, τύχα* vi ac potentia nobis dicendum fuit; sequitur, ut de ipsorum deorum munere, quo dii et in hac oda et alibi apud Pindarum perfunguntur, qui praecipue justitiae ac remunerationi obtemperant, pauca disseramus.

Etenim quum de deorum natura, qualem in hoc carmine sese praebeat, nonnulla pronunciare studeamus primum, de sententiarum ordine pauca repetere haud ineptum esse videtur. Pindarus enim Theroni eximium fortunae adversae, qua vivus saepenumero ute-

batur, solatium victoriam in Olympicis reportatam existimavit. Nam tantae victoriae conscientia, quid est quod magis curas, nonnunquam in animum irrepentes, removere possit? Sed Thero tam eximiam victoriam non reportavit, nisi ejus fuissent illae virtutes a Pindaro versu 53 enumeratae: divitiae cum virtute conjunctae, quibus animi bonis praeditus etiam futuras res praevidet, qui iis utitur, quin etiam ex Pindari sententia, quum impiis poena gravissima parata sit, piis contra praeclara gaudia fore cognovit. Quodsi, quae nunc sequuntur, paullo accuratius probarimus, Pindarum egregie priscae aetatis divinationes divulgasse, quae nescio an tam diu exstent, quam diu homines terram incolant, existimo. Ut enim hanc carminis partem recte intellegamus, de Jovis potestate ac vi pauca dicenda sunt. Jovis nomen, quem Graeci vocant *Δία*, cum vocabulo Sanscritico: dyârús, quod est in sermone Latino: caelum componendum esse, ex legibus linguarum comparatione constitutis, quoniam litera ζ in lingua Graeca ex litera δ cum j prodit, quod verbo *νομίζω* ex *νομιδjω* exortum, ex vocabulo *ζύγον*, quod par est voci Latinae: jugum, ex nomine Aeolico *Ζώννυξος* pro usitato: *Διόνυσος* cognoscitur, inter omnes constat. Qui tamen est usus apud Graecos, legimus in Hesychii glossario: *Διὸς αὐγάς, τῆς ἡμέρας τὸ φῶς, τὸν αἰθέρα*, in Ranis Aristophaneis v. 100: *αἰθέρα Διὸς δωμάτιον*, denique sexcenties: *Ζεὺς ὑπάτιος, ὕψιστος, αἰθέριος, ἐπάρκιος*, alia. Quos locos si accuratius examinarimus, hos pauca non adferre ad illam carminis partem penitus pernoscendam, qua agitur de Jovis natura atque potentia, intelligemus. Quum enim Juppiter in coelo habitet omnibus curis liber atque absolutus, quam quidem sententiam profert Aristoteles metaphys. XII, 7: ubi Juppiter secum ipso contentus in aeterna animi tranquillitate versatur, quid mirum, quod quoniam in coelo habitat atque regnat, saepenumero, quid in terra fiat, ignorat?

Quapropter Pindarus in versibus 57 usque ad 60 duplex judicum genus inter deos discernit, quorum alter judicia fert apud homines, alter apud inferos. Hic, quem hac oda poëta Rhadamanthum dicit aliter Aeacum, semper juste dijudicat, si forte erravit, qui in coelo sedet: Juppiter. Rhadamanthus, qui nullo modo falli potuit, quam ob rem Pindarus eum beatum praedicat Pyth. II, 73:

— ὁ δὲ Ῥαδάμανθυς εὖ πέπραγεν, ὅτι φρενῶν
ἔλαχε καρπὸν ἀμώμητον, οὐδ' ἀπάταισι θυμὸν τέρπεται ἔνδοθεν.

communis juris aequitatem minime transiit, immo summa cum severitate, quae nullo modo frangi potuit, suum cuique tribuit:

τὰ δ' ἐν τᾷδε Διὸς ἀρχᾷ
ἀλιτρὰ κατὰ γᾶς δικάζει τις ἐχθρᾷ
λόγον φράσαις ἀνάγκᾳ.

Quas sententias Pindarus nescio an e Pythagoraeorum doctrina recepit, quoniam pro eorum praescriptis justitia est *ἀριθμὸς ἰσάκις ἴσος*, qua ratione, quod quis fecit et perpessus est, inter se cohaeret, ita ut cuique merces reddatur*). Hac oda Rhadamanthi est talionem exercere, quin leges justi notione praescriptas praetereat, quae potius rationes afferunt dijudicandi. Qui quidem homines neminem fefellerunt, semper fidem rectumque coluerunt, denique, quod promiserunt nunquam omiserunt, quae est Pindari ingeniosa sententia atque elegans, vitam agunt illacrimabilem (*ἄδακρυν νέμονται αἰῶνα*), qui tamen aliter egerunt, summos subeunt labores. Verum ad summos honores in intima cum Jove communione positos sic demum homines perveniunt, si ter et in terra et apud inferos mentem ab omni scelere remotam servare valuerunt; sic demum aeternis gaudiis fruuntur. Itaque Pindarus:

ὅσοι δ' ἐτόλμασαν ἐστρίς
ἑκατέρωθι μείναντες ἀπὸ πάμπαν ἀδίκων ἔχειν
ψυχάν, ἔτειλαν Διὸς ὁδὸν παρὰ Κρονίου τύρσιν,

quod judicium fortasse iterum e Pythagoraeorum scriptis a Pindaro decerptum etiam apud Platonem in Phaedone dialogo reperiri inter omnes constat.**)

Jam venio ad alios locos, quibus poëta Jovis et qui praeter eum dii sunt, naturam explanavit, quae mihi triplex virtutum exemplar, primum summae potentiae ac gravitatis, deinde benevolen-

---

*) cf. Aristot. Eth. Nicom. V, 8 et Magna Moral. I, 1; I, 34.

) Huc pertinent quidam loci veterum scriptorum, quibus agitur de juris jurandi religione Omnes res humanae quum in fide, quae est et in verbis et in rebus, positae sunt, tum in deorum verecundia. Itaque Pindarus scribit Ol. XI, 4: *Ἀλάθεια θυγάτηρ Διός*, Fr. 188 apud Bergk.: *ἀρχὰ μεγάλας ἀρετᾶς, ὥνασσ' Ἀλάθεια.* Fide homines deorum similiores fiunt cf. Pythag. apud Stobaeum, Flor. XI, 25: *Πυθαγόρας ἐρωτηθεὶς τί ποιοῦσιν ἄνθρωποι θεοῖς ὅμοιον; ἔφη ἐὰν ἀληθεύωσιν*, Plat. de legg. V, p. 378, 4, Aristot. Rhet. ad Alex. 18 p. 1432, 33: *ὅρκος ἐστὶ μετὰ θείας παραλήψεως φάσις ἀναπόδεικτος* et q. sq, Cicero de off. III, 29: jusjurandum est affirmatio religiosa, deo teste, qua de re copiosius dixit **Lasaulx, de jurejurando apud Graecos dissert. initio.

tiae, denique justitiae atque aequitatis esse videtur. Itaque quamquam longum est, hoc loco omnes versus, quibus a Pindaro Juppiter aliique dii laudantur, enumerare, quia, ut etiam alibi de his rebus verba faciam, in animo habeo, his tamen tribus notionibus, imprimis Jovis naturam apud Pindarum definiri, me demonstraturum esse spero. Etiam si ex oda Olympica altera Jovem summa frui felicitate, nec tamen omnia dirigere atque tueri elucet, ex aliis locis quanta divinatione Pindarus Jovem omnipotentem, aliis diis multo superiorem existimarit, ita ut cum ingeniosis Aeschyli et Platonis sententiis prorsus congruat, cognoscas. Quodsi animo considero, venit mihi in mentem loci illius praeclarissimi in oda Isthmica quarta nobis traditi, ubi legimus in versibus 51 et 52:

Ζεὺς τά τε καὶ τὰ νέμει, Ζεὺς ὁ πάντων κύριος.

Sed etiam alibi Jovis summam potentiam cognoscimus. Si vel v. 67 od. Pyth. prima vocabula: *Ζεῦ τέλειε* enunciavimus, hoc mirifice v. 29 od. Nem. decim. confirmatur, ubi Pindarus Jovi sic supplicat:

Ζεῦ πάτερ — — πᾶντε τέλος ἐν τὶν ἔργων.

Qua tamen summa facultate Juppiter praeditus est, praeclara tamen benevolentia homines affecit: nam si virtutes hominibus contigerunt, praecipue Juppiter has tribuit munificentissime. Itaque v. 4 od. Isthm. tert. profert Pindarus:

Ζεῦ, μεγάκαι δ' ἀρεταὶ θνατοῖς ἕπονται
ἐκ σέθεν.

Quidquid homines suscipiunt, ipsius Jovis benignitate vel benevolentia opus est. Nam quum Argonautae Colchide redeuntes per deserta Libyae navem ad Tritonidem paludem humeris portassent, Euphemo a deo, quodam humanam speciem Eurypili gerente, gleba oblata fuit, dum, ut in tota re sancti aliquid insit, tremit tonitrus a Jove missus:

αἴσιον δ' ἐπί οἱ Κρονίων Ζεὺς πατὴρ ἔκλαγξε βρονταν.

Jovem propter concordiae amorem dignissimum esse, cuius similes fieri studeamus oporteat, quoniam ipsis Titanibus ignorit, quapropter ultionis cupiditatem homines omittere debeant vel ex odae Pythicae quartae fine cognovimus. Praeter ceteros autem Juppiter Peleum, quem poëta: *εὐδαίμονα θεῶν γάμβρον* semel atque iterum laudat, maxima benevolentia amplexus est. Quid quod ipse Thetidem, Nerei amoenissimam filiam, cum Peleo matrimonio conjunxit? Musarum chorus ad nuptias solemniter agendas can-

tica suavissima movet, quod Pindarus in oda Nem. V, inde a versu 22 summa cum dulcedine ac paene divina narravit. At in hac re depingenda justi idea maximi ponderis est, quoniam Peleus quamvis occasione data, stupri scelus praeclare effugit, ne injuria commissa et deorum et hominum iram excitet. Cui notioni alibi ipse Juppiter obtemperat, eo quod et summam justitiam et prudentiam tribuit hominibus Nem. X, 11:

φρενῶν καρπὸν εὐθείᾳ συνάρμοξεν δίκᾳ:

prudentiam cum justitia consociavit. Ejusdem odae v. 71 Juppiter, qua est summa clementia ac justitia, sic statuit Dioscuris Castori et Polluci, ut cum alter immortalis esset, Pollucem dico, alter mortalis, Polluci quoque die partim in terra apud patrem, partim in coelo apud se ipsum habitare permitteret. Eundem Jovem talionem exercere testatur Pindarus Pyth. II, v. 40 et eo q. sq., quum Ixioni nefasto Junonis amore flagranti pro uxore nubem mitteret:

— ἄντε δόλον αὐτῷ θέσαν
Ζηνὸς παλάμαι, καλὸν πῆμα.

Sed quoniam Jovem summa potentia praeditum esse demonstravimus, quid mirum, quod Argonautae Jovi fulminanti (*ἐγχειεραύνῳ*) sacrarunt, ut ex omnibus incommodis navem servaret, per dies noctesque serenam tempestatem tribueret, sese integros domum reduceret; (cf. Pyth. IV, v. 193 et q. sq.) Nam etiam hoc loco poëta nihil aliud profiteri voluit, quam negligentia improbissima deum violare nequissimum esse, ita ut tale scelus notioni justi repugnare appareat —. Denique si ejusdem odae v. 197 Juppiter hominibus regna tradit, Pindarus quod unicuique sit, pro idea justi ab aliis hominibus sanctissimum esse habendum, pronunciare videtur.

De Jove diximus, age vero, quid de reliquis diis poëta pronunciarit paucis explicemus.

A diis omnium rerum perficiendarum facultates hominibus contingere, ita ut et poëtae et manu fortes et eloquentes deorum nutu evadant, Pindarus in oda Pythica prima inde a versu 42 Aetnae tum conditae ratione habita pronunciat. Dii enim sunt, qui civitatibus optimam salutem tribuant, qui domi militiaeque gloriam civitatis augeant, qui cives ab hostium impetibus vindicent cf. ejusd. od. v. 48 et praecipue v. 56, ubi Pindarus profert:

οὕτω δ' Ἱέρωνι θεὸς ὀρθωτὴρ πέλοι.

Cum his dictis, quae modo explicare conatus sum, angustis-

sime cohaeret, quod hic poëta protulit Pyth. II, v. 51 et 52 de deorum summa facultate:

— καὶ ὑψιφρονῶν τιν' ἔκαμψε βροτῶν
ἑτέροισι δὲ κῦδος ἀγήραον παρέδωκεν,

quos versus si diligentius examinaris, deos quasi lumina esse justitiae, vel ut rectius dicam, aequitatis cognosces. Quae cum ita sint, praeclare mihi Pindarus illud praemisisse videtur:

Θεὸς ἅπαν ἐπὶ ἐλπιδέσσι τέκμαρ ἀνύεται,

i. e. Deus omnem finem ex voto perficit*), ut homines fortasse gravibus curis cruciati fiduciam in Deo collocare possint. Nam homines nihil aliud cupiunt, quam Deum esse justum judicem. Ipsorum principum potentia a diis hominibus contingit, quam praeclare perferre sapientis est. Itaque Pindarus recte dicit versu 12 odae Pythicae V:

σοφοὶ δέ τοι κάλλιον
φέροντι καὶ τὰν Θεόξδοτον δύναμιν,

(quem ad totum cf. Horat. od. III, 1, 6: reges in ipsos imperium Jovis) et ejusdem carm. fine vates Thebanus deorum benevolentiam praedicat, quia ut Arcesilaus tantam gloriam adipisceretur effecerunt; atque ut hanc gloriam in omnes aetates augeant supplicat:

Θεός τε οἱ τονῦν τε πρόφρων τελεῖ δύνασιν
καὶ τὸ λοιπὸν ὁμῶς, μάκαρες ὦ Κρονίδαι
διδοῖτ' ἐπ' ἔργοισιν ἀμφί τε βουλαῖς
ἔχειν.

Quem tamen in modum dii sortibus humanis perfungantur, quamquam plerumque praeterit homines, nihilo secius Pindarus ex fabulis. quae temporibus heroicis exortae sunt, hoc cognosci arbitratur. Carmine enim Pythico tertio Hieronis sors ad universam vitae humanae legem revocatur, ubi v. 81 et 82 poëta dicit:

ἓν παρ' ἐσλὸν πήματα σύνδυο δαίνονται βροτοῖς
ἀθάνατοι.

Quod exemplis Pelei et Cadmi allatis probatur, quorum nuptiis in Pelio monte celebratis dii adfuerunt. Tres quidem filiae Cadmi: Ino, Agaue, Autonoe gravibus casibus partem felicitatis abstule-

---

*) Ad usum ἐπὶ praepositionis cum dativo cf. Pyth. IX, 89: ἐπ' εὐχᾷ et Matthiae gramm. Gr. pag. 1371 tert. edit. τέκμαρ, quod significat: finem in lingua Graeca non exstat nisi apud poëtas cf. Buttmanni lexilogi vol. I, p. 126.

runt, partem autem servavit Semele, quae Jovis connubio digna judicabatur. Ipse quoque Peleus duo mala toleravit: aetate enim florente exilii aerumnas, exeunte luctum domesticum; mediae interposita est voluptas, quam praebuit ingeniosus Achilles. Quae cum ita sint, ex Pindari sententia unumquemque sorte sua contentum esse, non ultima est laus. Itaque profert:

σμικρὸς ἐν σμικροῖς, μέγας ἐν μεγάλοις
ἔσσομαι· τὸν δ' ἀμφέποντ' αἰεὶ φρασίν
δαίμον' ἀσκήσω κατ' ἐμὰν θεραπεύων μαχανάν,

i. e. fortunam me prosequemtem non contemnam, colam virili parte.

Denique Pindarus homines summis honoribus non frui, nisi maxime operam navarint, conjecit. Junonis quamquam mite ac placidum ingenium esse solet, omnes tamen Argonautas non sine magno labore impenso praeclara virtutis praemia accipere, constituit, quoniam aequa lege dii judicant. Conf. Pyth. IV*) et quid de Hercule exposuerit Nem. X, 69 et sq.

Sed omittamus deorum naturam longius explanare, nonnullarum personarum vi divina praeditarum naturam paucis explicemus. Atque cum in eo sit, ut, quatenus justi notio a diis repraesentata sit, ad certum finem redigere conemur, quid est, quod magis nobis cordi esse possit, quam illarum dearum, quas Graeci dicunt *Θέμιν, Δίκην* munera, quantum poterimus, in medium proferre? Vocabulum enim *θέμις*, quamquam a radice *θε*, quae inest vocibus *τίθημι, θέμα, θέσις, θεσμός*, aliis**) derivatum, quod a diis institutum id eoque fas est, significat, apud Homerum tamen nonnunquam a significatione primaria rerum a diis institutarum ad secundariam et leviorem earum, quas usus rerumque ratio secum ferunt translatum esse jam Allihn in dissertatione inaugurali, quae inscribitur: de idea justi, qualis fuerit apud Homerum et Hesiodum et quae sq., admirabili mentis subtilitate explanavit. Nam cum in Homeri carminibus notio *θέμιστος* proprium locum ac vim genuinam obtineat, ubi ritus, officia, jura diserte a diis mandata, commemorantur, quem in modum vox usurpatur de libatione Odyss. III, 45; de jure jurando Il. XXIII, 581; inprimis autem ad jus

*) Ad totam rem compares Hesiodi illud Opp. et dier. v. 289:
τῆς δ' ἀρετῆς ἱδρῶτα θεοὶ προπάροιθεν ἔθηκαν ἀθάνατοι.

**) Quam in rem cf. G. Curtii elementa etym. Gr. pag. 238 iisque q. sq.

hospitum demonstrandum Odyss. IX, 268; deinde ubi Il. XI, 779 de Achille hospiti dona tribuente Homerus pronunciat:

ξείνια τ' εὖ παρέθηκεν, ἃ τε ξείνοις θέμις ἐστίν;

atque in universum de officiis in egenos et supplices, quorum auxilium apud Jovem esse putabatur, praeterea, si huius vocis pluralis cum sententia modo exposita convenit, quam ad rem cf. Il. I, 238:

— δικάσπολοι, οἵτε θέμιστας
πρὸς Διὸς εἰρύαται:

judices qui jura a Jove destinata tuentur; nihilo secius si confertur Il. IX, 134, ubi de consuetudine cum uxore conjugali Homerus profitetur: *ἦ θέμις πέλει*, atque Odyss. IX, 441: *ἦ θέμις ἐστὶ* regem primum in concione dicere oportere, vocem *θέμις* a significatione primaria in Homeri carminibus nonnunquam abhorruisse quisque ducet. Idem promiscue Homerus vocibus *θέμις*, *δίκη* similibus utitur, ut haud raro utramque notionem permutet. Quamquam enim ex G. Curtii praeclara explicatione l. c. pag. 129 vocabulum *δίκη* morem vel ritum significat, qua cum sententia mirifice congruunt Odyss. XVIII, v. 275:

μνηστήρων οὐχ ἥδε δίκη τὸ πάροιθε τέτυκτο;

XIX, v. 43; XXIV v. 255, ubi de ritu servorum, senum, procorum poëta verba facit, unde *δίκη* ad rectum finem et recepto mori consentaneum dirigitur, nihilo minus in ejusdem carminis libro quarto versu 69 dicit: *ἦτ' ἐστὶ δίκη θείων βασιλήων*: (qui est mos divinorum et bonorum principum, ut nemo injuriam perpetiatur) et lib. IX, v, 112 iisque q. sq., ubi de Cyclopibus exposuit: *τοῖσι δ' οὔτ' ἀγοραὶ βουλήφοροι οὔτε θέμιστες*, enunciat: *θεμιστεύει δὲ ἕκαστος*, quum potius: *ἦτ' ἐστὶ θέμις* et *δικάζει ἕκαστος* sine dubio exspectes. Quodsi ex his dictis quam ambigue Homerus vocibus: *δίκη* et *θέμις* usus sit apertum fuerit, aliter tamen res sese habebit, si qualem illa dea, cui nomen est *Θέμις* sese praebuerit, paucis considerarimus. Tribus enim illis locis, ubi Homerus Themidem laudat, non sine summa reverentia hujus deae commonefacit. Etiam Juno Il. XV, 87 huic deae venustis genis decoratae obviam ivit, quoniam ornat et exhilarat et florentes facit civitates, sicut genarum suavitas vultum reddit amoeniorem! Deinceps Themis Jovi, quotiescunque deos convocat, subsidio est, quando summum judicium contra injustos homines ferendum est Il, XX, 4, quo de munere paulo inferiore loco pauca addam. Deni-

que etiam in foro adest concionibus, quapropter Telemachus jurat in concilio per Jovem et Themidem.

His dictis ad Hesiodum transeamus.

Quoniam in Homeri poëmatibus *θέμιστος* et *δίκης* notiones haud raro permutari, sed in universum illa vocabula eo inter se differre, quod *θέμις* divinum institutum sanctitatis nota praeditum, *δίκη* aliquid more receptum ideoque justum significat; deam autem *θέμιν* permagna potentia instructam cum Jove aliisque diis Olympum tenentibus res humanas dirigere cognovimus; apud Hesiodum illas notiones paulo diversam accipere sententiam intelligemus. Sed quoniam, ut omnes illos locos, quibus in carminibus Hesiodeis voces: *δίκη*, *δίκαιος*, *θέμις* aliae leguntur, enumeremus, non id est, quod sequamur, quid de his rebus Hesiodus existimarit, arctissimis tantum lineamentis hic adumbremus.

Hesiodi aetas quamquam ad Homericam prope accedit, tamen, quae sunt horum poëtarum de hominum moribus sententiae, inprimis eo distant, quod Hesiodus natus fuit Boeotus, carmina autem Homero plerumque ascripta ab Aeolibus vel Ionibus composita sunt. Etenim quum coloni Aeolici et Ionici et in oris maritimis Asiae minoris sedes sibi pararent laetissimas et urbes exstruerent incolarum multitudine ac virtute florentes; Boeotia per populos migrantes in longum tempus turbata statu utebatur multo tristiore. Nam litibus acerrimis inter ipsos cives exortis animi laetitia prorsus evanuit. Quid mirum igitur, quod Hesiodus, ab ipso fratre nequississime defraudatus, animum ex angustiis vitae inopis servare cogitavit! Itaque quum Hesiodi aequalium mores ita depravati essent, ut minime eos pro normis honeste agendi habere liceret, usum vocis *δίκης* ad graviorem legis summae notionem restrinxit. Sic Jovi ii tantum grati sunt:

> *οἳ δὲ δίκας ξείνοισι καὶ ἐν δήμοισι διδοῦσιν*
> *ἰθείας καὶ μήτι παρεκβαίνουσι δικαίων.*

Opp. et dier. v. 225 et 226, ita ut *δίκης* notione postuletur, ne homines peregrini hospitibus fidem habentes fallantur, cives autem, quod alter alteri debet, omni modo praestent. Ut vero inprimis lites justi notioni repugnantes recte componantur, regum est a Jove constitutorum *ἰθείῃσι δίκαις* causas dijudicare atque litem dirimere. Quibus regibus adversantur judices *δωροφάγοι* Op. 29, qui largitionibus corrupti jure perverso utuntur (cf. Opp. v. 219

σκολιῇσι δίκῃσι); is quoque jus violat, qui falso testatur, quod Hesiodus Opp. 282 his profitetur:

ὃς δέ κε μαρτυρίῃσιν ἑκὼν ἐπιόρκον ὀμόσσας
ψεύσεται, ἐν δὲ δίκην βλάψας νήκεστον ἀασθῇ.

Inprimis autem huc spectant Opp. v. 190—194, ubi in describenda hominum injustitia ferreae aetatis a poëta haec proferuntur:

οὐδέ τις εὐόρκου χάρις ἔσσεται οὔτε δικαίου
οὔτ' ἀγαθοῦ, μᾶλλον δὲ κακῶν ῥεκτῆρα καὶ ὕβριν
ἀνέρα τιμήσουσι· δίκη δ' ἐν χερσὶ καὶ αἰδὼς
οὐκ ἔσται· βλάψει δ' ὁ κακὸς τὸν ἀρείονα φῶτα
μύθοισι σκολιοῖς ἐνέπων, ἐπὶ δ' ὅρκον ὀμεῖται,

unde apparet apud Hesiodum fidei notionem cum justi idea arctissime cohaerere. Accedunt etiam aequitatis et benevolentiae notiones, quas poëta *τοῦ ἀγαθοῦ* nomine complectitur.

Quodsi ex his dictis notionem *δίκης* apud Hesiodum ex sincero et genuino judicio ad litem vitandam et ad tranquillitatem conservandam exortam esse cognovimus, vocabuli *θέμις* usum in summa lege ipsorum deorum positum esse intelligemus. Etenim quum locos huc pertinentes animo considerem inprimis in aetate argentea describenda Hesiodum genus humanum vituperare accipimus, quia diis immortalibus sacrificare noluit quamquam pacis cum diis conscientia quasi in intima hominum mente latet. Itaque Hesiodus Opp. 135 iisque q. sq. dicit:

— — οὐδ' ἀθανάτους θεραπεύειν
ἤθελον, οὐδ' ἔρδειν μακάρων ἱεροῖς ἐπὶ βωμοῖς
ἣ θέμις ἀνθρώποισι κατ' ἤθεα

cf. etiam Opp. v. 222 et q. sq. — Deinde in eo carmine, quod inscribitur scutum Herculis, ut scelesti homines praecipue interfectores omnibus suppliciis crucientur justi notione, ab ipso Jove instituta, postulatur; postquam enim Alcmena Amphitryoni nupsit, ne maritus officia praestaret, recusavit, quamdiu uxoris fratrum necem non ultus erat, quam ob causam Hesiodus ejusdem carminis v. 22 dicit:

ὅ οἱ Διόθεν θέμις ἦεν.

Itaque quum etiam dii nihil antiquius habeant, quam ut unicuique suum tribuant, Minerva Marti crimini dat, quod Jovis filium Herculem armis privavit:

οὐ γάρ τοι Θέμις ἐστὶν ἀπὸ κλυτὰ τεύχεα δῦσαι
*Ἡρακλέα κτείναντα, Διὸς Θρασυκάρδιον υἱόν**).

Ut autem juris provincia amplificetur et sanctitatis nota augeatur, Hesiodus Justitiam deam repraesentavit, quod Homero assensus est, sed eo distat ab illo poëta, quod Themidem Jovis uxorem, Horarum matrem laudavit, quas deas in omnibus rerum vicissitudinibus permanentes, jam apud Homerum commemoratas anni tempora significare, egregie Lehrsius judicavit, quod vel ex etymologia cognoscitur, cf. *ὥρος* i. e. annus *ὡραῖος*: tempestivus et Curtii elementa p. 331 et 332. Apud Homerum tamen Horae deae raro tantum appellantur, nisi ubi caeli portas, quae sunt nubes, vel aperiunt vel occludunt. Il, V, 749; VIII, 393, sed uno saltem loco Il. XXI, 450 Homerus eas describit aequi ideae obtemperantes, quoniam ut Neptuni et Apollinis Laomedonti operas locantium vota perficiantur, efficiunt. Itaque Homerus:

ἀλλ' ὅτε δὴ μισθοῖο τέλος πολυγήθεες ὧραι
ἐξέφερον.

Apud Hesiodum Horae, filiae Jovis et Themidis, certo numero continentur, quarum nomina sunt: *Εὐνομία, Δίκη, Εἰρήνη*, ut pro mea quidem sententia *Θέμις*, Jovis uxor, notionem generalem, jus divinum dico, significare videatur, quae notio legibus agendi normis, justitia atque aequitate, denique pace et concordia describitur. Theog. v. 901 et q. sq. et Hymn. Orph. 42, 1 (XLIII. ed. Herm.)

Quod judicium modo prolatum optime congruit cum alio loco Hesiodeo, qui est Opp. et dier. v. 256 iisque q. sq., ubi deam, quam Graeci *Δίκην* vocarunt, his laudibus tollit:

ἥ δέ τε παρθένος ἐστὶ Δίκη, Διὸς ἐκγεγαυῖα
κυδρή τ' αἰδοίη τε Θεοῖς, οἳ Ὄλυμπον ἔχουσιν
καὶ ῥ' ὁπότ' ἄν τις μιν βλάπτῃ σκολιῶς ὀνοτάζων
αὐτίκα πὰρ Διὶ πατρὶ καθεζομένη Κρονίωνι
γηρύετ' ἀνθρώπων ἄδικον νόον, ὄφρ' ἀποτίσῃ
δῆμος ἀτασθαλίας βασιλέων, οἳ λυγρὰ νοεῦντες
ἄλλῃ παρκλίνωσι δίκας σκολιῶς ἐν ἔποντες,

ut dea *Δίκη* nullum aliud munus administret, quam ut Jovi refe-

---

*) Ceterum pluralis *Θέμιστες* apud Hesiodum significat: leges; prorsus eodem modo atque apud Homerum Il. I, 268, quod ut rectius intelligas, cf. Theog. v. 85, 235, alios locos; Opp. v. 9 et 22.

rat, si quando homines jus divinum violarint, quippe cum jus, quod inter homines viget, prorsus de numine divino pendeat.

Quibus rebus expositis, quomodo Pindarus notiones δίκης et θέμιτος sibi informarit et quem in modum deas: Δίκην et Θέμιτα praedicarit, facillime intellegemus. Etenim quum in eo sit, ut harum notionum usum in carminibus Pindaricis consideremus, id non agimus, ut omnes locos, quibus vocabula illa reperimus, enumeremus, immo etiam hic lineamentis tantum, quid illae voces sibi velint, describere conemur, quoniam ut dearum Θέμιτος et Δίκης provinciam illustremus, nobis propositum est. Quem quidem usum ut penitus pernoscamus, iterum a significatione primaria exordium faciendum esse videtur. Quum enim vel apud Homerum et apud poëtas tragicos δίκην: ritum significare perspexerimus, idem ex carminibus Pindaricis intelligemus, dico Pyth. I, 50: τὰν Φιλοκτήταο δίκαν ἐφέπων. Pyth. II, 84: λύκοιο δίκαν ὑποθεύσομαι. Quos locos si exceperimus vocabulum δίκη apud Pindarum sensum accipit praescriptis philosophiae moralis convenientem, quod jam diu ex poësis Pindaricae perlustratione cognovimus, quoniam jus esse et duarum voluntatum consensum ad lites vitandas et aliquid vel faciendi vel omittendi potestatem vel ex priore dissertationis parte comperimus. Numerum pluralem vocis, qui raro tantum apud Pindaro legitur, leges significare ex odae Pythicae quartae v. 153, ubi Jasonis pater populo leges tulisse narratur, cognoscitur, quapropter Pindarus dicit: εὔθυνε δίκας; uno tantum loco memoratu dignissimo Isthm. VII, 24 δίκα congruit cum vocabulo Latino: lis. Quod tamen de voce δίκη experti scimus, idem valet de vocabulis ab eadem radice derivatis: δίκαιος, ἄδικος, δικαιόω, δικαιόπολις similibus. Quia autem jus non una persona sed duarum vel complurium personarum consensus efficit, Pindarus utitur vocabulo composito σύνδικος i. e. communis cf. Olymp. IX, 98; Pyth. I, 2.

De vocabulo δίκη dixi, jam venio ad notionis θέμιτος usum in carminibus Pindaricis paucis demonstrandum. Qua de voce multa verba proferre eo non opus esse videtur, quod apud Pindarum simplex vocabulum Θέμις supra fines numine divino constitutos nunquam transgressum est. Sic, ut pauca tantum exempla afferam, legimus in fragmento primo edit. Bergk. de Doriensibus Aeginae conditoribus:

οὐ θέμιν οὐδὲ δίκαν ξείνων ὑπερβαίνοντες,

ubi, quia praeierunt voces *σὺν θεῶν αἴσᾳ*, quid *θέμις* vocabulum sibi velit, effugere neminem potest; ceterum hac occasione oblata ad id, quod jam explicavimus, mentem dirigamus. Etiam pluralem numerum *θέμισσιν*, qui, Pyth. IV, 54, ubi Apollo Pythius Battum insula Thera relicta in Libyam migrare jubet, idem est atque oracula, ad normam praecepti divini redigi posse apparet. Quod etiam valet de adjectivis *θεμίσκοπος* Nem. VII, 47. *θεμισκρέων* Pyth. V, 29, *θεμιστὸς* fragm. 174 apud Bergk. Deinde huc pertinet Pyth. IX, 42 ubi Chiro, Centaurus, ne mendacii culpam in se admittat, ipsum Apollinem, quo ex genere Cyrena nympha exorta sit, scire dissimulantem dehortatur, quoniam etiam dii legibus justi notioni consentaneis obtemperare debeant, quapropter Pindarus Chironem dicentem facit:

καὶ γὰρ σέ, τὸν οὐ θεμιτὸν ψεύδει θιγεῖν
*ἔτραπε μείλιχος ὀργὰ παρφάμεν τοῦτον λόγον**).

Qua cum significatione congruit adjectivum addita negatione, quod leginus Pyth III, 32, ubi Ischym Coronidem, ipsi Apollini sponsam, studuisse in matrimonium ducere traditum est, quam fraudem poëta recte dicit numini divino contrariam: *ἄθεμιν δόλον*; idem, quia Pelias regnum Aeolo a Jove tributum occupavit recte eum *ἄθεμιν* appellavit Pyth. IV, 109.

Tum, qui est locus jam supra laudatus Ol. I, 12, ubi sceptrum Hieronis *θεμιστεῖον* poëta laudat, si quem in modum re vera res sese habeat profitemur, vocabulum *θεμιστεῖος* pro usitato *δίκαιος* positum est, sed Ol. VI, v. 93 diligenter comparato, quo, ut Hieronis in deos summa reverentia maximis laudibus efferatur, poëta pronunciat:

εἰπὸν δὲ μεμνᾶσθαι Συρακοσσᾶν τε καὶ Ὀρτυγίας
τὰν Ἱέρων καθάρῳ σκάπτῳ διέπων,

etiam versus ille in carmine Ol. primo nobis traditus nescio an sic accipiendus est.

Denique verbum a voce *θέμις* deductum: *θεμίσσασθαι*, quod legimus Pyth. IV, v. 141, quo Iason Peliam sic alloquitur:

ἀλλ' ἐμὲ χρὴ καὶ σὲ θεμισσαμένους ὀργὰς ὑφαίνειν λοιπὸν ὅλβον,

si minus ad normam juris a diis instituti, at certe ad jus, quod

---

*) Quod contra Bullii sententiam dico l. c. p. 22 et 23 enunciatam, qui *ψευδεῖ θιγεῖν* Latine reddit mendaciis falli.

inter homines viget, referri potest, ut secundum juris ideam, ne lis oriatur, cupiditates frenari oporteat.

Quibus rebus expositis de natura ac potestate deorum *Θέμιτος* ejusque filiarum, quas jam ex carminibus Hesiodeis cognovimus, nonnulla verba facere opus esse videtur. Quod ut accuratissime perficiamus, inprimis odam Olympicam tertiam decimam animo consideremus, quoniam hoc carmine subtilius et diligentius, quam alibi poëta de his rebus disseruit. Quum enim vel ex carminibus Hesiodeis Themidem Jovis uxorem esse, quae, quidquid pulchrum bonum honestum est, hominibus tribuit, appareat, quapropter apud Pindarum Ol. VIII, 22 Aegina beata praedicatur, quia ibi *Θέμιτι* summi honores tribuuntur; quum etiam apud Hesiodum *Θέμις* Horarum mater sit, hae sententiae confirmantur atque amplificantur carmine Olympico tertio decimo. Ab Horis enim theogoniae loco laudato opera humana perficientibus civitates quasi communis salutis originem ducunt, qua ex ratione Horas, quae sunt: *Εὐνομία, Δίκα, Εἰρήνα* v. 6 *βάθρον πολίων ἀσφαλές*, v. 7 *ταμίαν ἀνδράσι πλούτου* poëta dicit. Horae sicut in natura omnes plantas floribus exornant, qua de re vates Thebanus eas praedicat: *Ὧραι πολυάνθεμοι*, etiam hominum menti *ἀρχεῖα σοφίσματα*, quibus cujusque generis virtutes intelliguntur injiciunt Ol. XIII, 17. Itaque Mars Horis et Terrae Cyrenam nympham educandam dedit Pyth. IX, 60. Sed quoniam de Horarum: *Εὐνομίας* et *Εἰρήνης* munere alibi verba fecimus, praeterea quia *Ἀσυχίαν Δίκας* esse filiam jam antea cognovimus, reliquum est, ut de Horarum matre Themide pauca addamus.

Themis quum Jovi carissima jus a diis institutum in omnibus rebus humanis inprimis jus hospitale observet, quam ob rem Pindarus deam his laudibus extulisse videtur Nem. XI, 8 et 9:

καὶ ξεινίου Διὸς ἁσκεῖται Θέμις ἀενάοις
ἐν τραπέζαις,

quum Ol. XIII, 8 et Isthm. VII, 32 *εὔβουλος* benevola summis laudibus efferatur, Pyth. XI, 9: *ἱερά*, in fragm. 6 *οὐρανία* appelletur, loco memoratu dignissimo carminis Isthmici septimi summis officiis praeclare perfungitur. Themis enim non solum lites inter deos Jovem et Neptunum exortas, quia uterque Thetidem in matrimonium concupivit, composuit, quae res recte intelligi non potest, nisi quis novit praecepta philosophia morali suppeditata, ita ut leges justi notione destinatas ne dii quidem effugere possint, sed

eadem fati consilia praeclare perspicit, quibus, si Juppiter vel alius Saturni filius Thetidem in matrimonium duceret, ut filius patre ferocior nasceretur, sin homo virtutibus eminens, filius mox moreretur, constitutum fuit cf. v. 30 et qui inde sq. —

Ceterum ad vocis *θέσφατος* ibi prolatae sententiam recte intelligendam conf. Pyth. IV, 71; Aeschyl. Eumen. v. 594; Agamemn. v. 1132.

Quod valet de Themide, etiam Nem. XI initio legimus de Vesta, quae dea Jovis soror summe venerabilis existimabatur, quia homines ad rectum finem perducebat; imprimis eadem civitates tuebatur, qua de causa sedem obtinuit in Prytaneo. Itaque principes eam solemniter exceperunt Nem. XI, 5:

οἵ σε γεραίοντες ὀρθὰν φυλάσσοισιν Τένεδον.

Horarum deae simillimae sunt Gratiae, quarum est omnis dulcedo, hilaritas, venustas, quae deae quamquam vel in carminibus Homericis laudantur, nunquam tamen numero definiuntur. Sic, ut exempla enuntiem Il. XIV, v. 267 eosque q. sq. Juno se Somno unam e Gratiis in matrimonium daturam esse pollicetur: Pasitheam i. e. praeclara venustate florentem; sic. Il. XVIII, v. 382 iisque q. sq.

Χάρις λιπαροκρήδεμνος apud Vulcanum habitat ob formositatem. Denique Venus Gratiarum opera, oleo uncta, immortalis evasisse narratur Odyss. VIII, 362. Etiam in carminibus Hesiodeis suavitatis et venustatis deae *Εὐρυνόμης* filiae vocantur theog. v. 907; sed eo distat ab Homero, quod fortasse ob tres Horas, tres Gratias nominatim appellavit. Itaque Hesiodus:

Τρεῖς δέ οἱ Εὐρυνόμη Χάριτας τέκε καλλιπαρήους
Ὠκεανοῦ κούρη, πολυήρατον εἶδος ἔχουσα,
Ἀγλαΐην τε καὶ Εὐφροσύνην Θαλίην τ' ἐρατεινήν
τῶν καὶ ἀπὸ βλεφάρων ἔρος εἵβετο δερκομενάων
λυσιμελής· καλὸν δέ θ' ὑπ' ὀφρύσι δερκιόωνται.

Quodsi his praemissis ad naturam Gratiarum in poësi Pindarica depingendam transimus, primum praeclarissimum illud Theognidis, quod summis laudibus efferatur, dignissimum audiamus. Versu enim 15 et iis qui sq. poëta Megarensis dicit:

Μοῦσαι καὶ Χάριτες, κοῦραι Διός, αἵ ποτε Κάδμου
ἐς γάμον ἐλθοῦσαι καλὸν ἀείσατ' ἔπος·
ὅττι καλόν, φίλον ἐστί· τὸ δ' οὐ καλὸν οὐ φίλον ἐστίν
τοῦτ' ἔπος ἀθανάτων ἦλθε διὰ στομάτων.

Qui versus, si diligentius eos considerarimus, viam nobis indicabunt, qua ad Gratiarum munus apud Pindarum recte accipiendum pervenimus. Quam autem odam hic rectius laudem carmine Olympico decimo quarto? Gratiae enim maxime cultae Orchomeni, ubi Eteoclus Cephissi fluvii filius primus Gratiis sacrificasse narratur, quapropter Minyarum custodes: *παλαιγόνων Μινυᾶν ἐπισκόπους*, Pindarus has appellat, quae, quidquid dulce pulchrum est, hominibus perficiunt, tum etiam sapientiam mentem sinceram, gloriae victoriam tribuunt. Itaque Pindarus v. 4 et sq. dicit:

σὺν γὰρ ὕμμιν τά τε τερπνὰ καὶ
τὰ γλυκὲ ἄνεται πάντα βροτοῖς
κεἰ σοφός, εἰ καλός, εἴ τις ἀγλαὸς ἀνήρ.

Ne dii quidem Gratiis absentibus vel saltationis vel epularum gaudiis fruuntur, quoniam ob formositatem Juppiter aliique dii in Olympo sedentes summo amore has amplectebantur! Recte igitur Pindarus Olymp. VII, 11 Gratiam dicit: *ζωθάλμιον* atque gratias agit quam maximas, quoniam carmina praebuerunt. Idem Pyth. IX, v. 89 vota facit:

Χαρίτων κελαδεννᾶν μή με λίποι καθαρὸν φέγγος.

Is tantum cantus, quae est Pindari sententia ingeniosissima, veram gloriam nanciscitur, qui Gratiarum opibus hominibus tribuitur. Hinc Gratiarum auctoritatem cum philosophiae moralis notionibus convenire apparet, quoniam Gratiae, ut homines, quidquid committunt, se respiciant, postulare possunt. Sic recte locus ille notissimus Pyth. II, 42 intelligendus est, quo de Ixione insano Iasonis amore flagrante pronunciat v. 42 et 43:

ἄνευ οἱ Χαρίτων τέκεν γόνον ὑπερφίαλον
μόνα καὶ μόνον, οὔτ' ἐν ἀνδράσι γεράσφορον οὔτ' ἐν θεῶν νόμοις.

Sed de hoc quidem hactenus, reliquum est, ut quales apud Pindarum homines in deos sese praebere opus sit, exponamus.

Has res deliberanti inprimis loci illius ad hanc quaestionem conficiendam maxime idonei in mentem venit. Quantum autem discrimen inter deos et homines intercedat, ut audientium mentes edoceat, summe operam navat poëta. Quum deorum consilia quam celerrime ad certum finem redigi Pyth. IX, 67 pronunciet, res humanas cum somniis et umbris comparat, quas solus deus ad serenam felicitatem perducere possit. Itaque Pyth. VIII, 95 profitetur:

— τί δέ τις; τί δ' οὔ τις; σκιᾶς ὄναρ
ἄνθρωπος ἀλλ' ὅταν αἴγλα διόσδοτος ἔλθῃ
λαμπρὸν φέγγος ἔπεστιν ἀνδρῶν καὶ μείλιχος αἰών.

Sed quamquam his locis aliisque fines vitae humanae nobis demonstrat, ita ut ab omni genere insolentiae dehortetur, etiam in Pindari animo praeclarissima illa fabula jam ab Hesiodo theog. 116 tradita viget, quae deos et homines ex una matre originem ducentes quodammodo similes esse animo et corpore, ingenio tamen ac viribus differre narrat, quam in rem cf. carm. Nem. VI initium, praecipue vocabula:

ἀλλά τι πρὸσφέρομεν ἔμπαν
ἢ μέγαν νόον ἤτοι φύσιν ἀθανάτοις.

Inde quae sint officia ab hominibus diis praestanda facillime demonstres, quae in summa deorum reverentia, quotiescunque eorum mentio fit, inprimis posita esse videntur. Quam sententiam ut exemplis illustrem legimus Olymp. I, 35:

ἔστι δ' ἀνδρὶ φάμεν ἐοικὸς ἀμφὶ δαιμόνων καλὰ· μείνων γὰρ αἰτία.

Cujus rei praeclarum argumentum affert poëta versibus, qui inde sequuntur, quoniam hac sola condicione, ut culpa ab hominibus in sese contracta deleatur, fieri potest Hinc facile intellegas, cur Pindarus narrationes de vi ac natura deorum pervulgatas mutarit, quae olim deos immortales in Sipylum apud Tantalum invitatos ejus filii membra comedisse referunt. Immo poëta Pelopem a Neptuno, quem amor castissimus tenuit, raptum esse, quod jam olim Ganymedi acciderat, ingeniosissime conjecit. Et profecto quomodo talis poëta propter sententiarum miram copiam, subtilitatem, sublimitatem praeter ceteros summa admiratione affectus, ab animo impetrare potuit, ut immortales deos calumniaretur, quippe qui versu 52 et 53 odae laudatae quasi ex intima mente profiteretur:

ἐμοὶ δ' ἄπορα γαστρίμαργον μακάρων τιν' εἰπεῖν· ἀφίσταμαι·
ἀκέρδεια λέλογχεν θαμινὰ κακαγόρους? *)

Alibi ab insolentia in deos omnipotentes Hieronem dehortatur Pyth. II, 25 iisque q. sq., eo quod exemplum Ixionis affert

*) Id etiam **Plato** Pindaro assensus est, qui, quum poëtarum fabulas nequissimas ad deorum naturam spectantes maxime vituperet, ut in omnibus rebus divinis homines Apollinem Delphicum consulant, quam maxime commendat cf. de rep. II. p. 95 sq. ibid. IV, p. 179. de Legg. VI. p. 428 et ad totam rem **Lasaulx**, de rerum ratione, quas Graeci, Romani nec non Germani gesserunt, commentatio p. 19.

incesto Junonis amore flagrantis. Quamquam enim apud deos benevolentissimos (*εὐμενέσσι γὰρ παρὰ Κρονίδαις*) vitam egit hilarissimam, nihilo secius felicitatem optimam perferre non valuit, sed quae erat ejus insolentia, sorte tristissima usus est (*ὕβρις εἰς αὐάταν ὑπεράφανον ὥρσεν*), qua de causa poenam sibi convenientem accepit, primum quod parricidium commisit, deinde quia cum Junone stuprum facere nequissime ausus est, quod scelus modo commemoratum deos ultos esse, quoniam Ixion nube Junonis simillima falsus sit, jam antea cognovimus. Sed quoniam hoc loco notiones *ὕβρις* et *ἄτα* vel *αὐάτα* primo legimus, horum vocabulorum usum apud Pindarum paucis explanare, haud ineptum mihi esse videtur. Quod homini angustissimi fines destinati sunt, ille autem nihilo secius ultra hos fines ire cogitat, et summis laboribus implicatur et ad summam perniciem subducitur, quam perniciem vel quod vocabulum Graeci dicunt *ἄτην*, deorum nutu atque arbitrio hominibus contingere jam carmina heroica nobis tradiderunt, ubi etiam persona *Ἄτα* fingitur Il. XIX, v. 88; apud Hesiodum Litis filia appellatur theog. v. 230; inprimis autem, quoniam de idea justi agitur, huc spectare videtur Opp. v. 352, quo legimus:

μὴ κακὰ κερδαίνειν, κακὰ κέρδεα ἶσ' ἄτησιν.

Apud Pindarum *ἄτα* vel *αὐάτα* saepius atque iterum legitur, ut exempla afferam Ol. XI, 39; Nem. IX, 21; quae tamen notio compluribus locis cum vocabulo *ὕβρις*, quod Latine dicimus insolentiam, conjuncta est. Saepenumero enim fit, ut homo, qui utitur sempiterna vitae prosperitate, superbiat, nec modi in omnibus rebus tenendi sibi conscius maneat, quam superbiam justi notioni repugnare apparet. Sic locus supra laudatus recte intelligitur Pyth. II, 28; sic quoque Pindari vocabula de Tantalo prolata declaranda sunt Ol. I, 56:

κόρῳ δ' ἔλεν ἄταν ὑπέροπλον,

quocum loco compares Olymp. XIII, v. 10. Hinc quoque vis ac potentia Nemesios cognoscitur, quae iram divinam significare videtur, quotiescunque rerum ordo natura constitutus perturbatur. Quae ira quum non deleatur, nisi hic ordo restituitur hoc ex justi notione pendere videtur, quoniam si quis modum sibi destinatum negligit, aliorum invidia excitatur. Itaque Pindarus Jovi supplicat od. Olymp. VIII fine, ne Nemesis pulchrarum rerum par-

tem victori convenientem perdat vel infestam reddat, ita ut aliter statuat atque homines:

εὔχομαι ἀμφὶ καλῶν μοίρᾳ νέμεσιν διχόβουλον μὴ θέμεν·

Idem beatos praedicat Hyperboreos, quia a laboribus et pugnis remoti Nemesim effugiant, justitiae observandae inserviant (*φυγόντες ὑπέρδικον Νέμεσιν*), unde fit, ut is, qui contra deum luctari conatur, nefastissimi sceleris accusandus sit, quam in culpam incidunt calumniatores, quos deus extollit, evertere conantes. Rectissime igitur Pindarus Pyth. II, 88 iisque q. sq. pronunciat:

χρὴ δὲ πρὸς θεὸν οὐκ ἐρίζειν
ὃς ἀνέχει ποτὲ μὲν τὰ κείνων, τότ' αὖθ' ἑτέροις ἔδωκεν μέγα κῦδος. ἀλλ' οὐδὲ ταῦτα νόον ἰαίνει φθονερῶν.

Deum enim hominibus summos honores praebere, deinde alii homini felicitatem eripere, ut alius rebus secundis utatur, apparet; quamquam deum tam sapienter tam juste tam aeque dijudicare homines maligni perferre nolunt. Deinde deos fallere prorsus legibus justi notione praescriptis repugnare, nemo est, quem fugiat. Et profecto summae est stultitiae, si quis deos omnium rerum conscios decipere conatur:

εἰ δὲ θεὸν ἀνήρ τις ἐλπεταί τι λαθέμεν ἔρδων ἁμαρτάνει

Ol. I, 64. Nam quamquam fabulis suaviter enarratis mortales homines alii alios fallere valent, aeternos deos nemo defraudare potest, is potius gravissimam poenam subit, quapropter Typhoeus Gigas, Jovem omnipotentem a coelo detrudere ausus, fulmine caesus sub Aetnae faucibus jacet, ubi etiam spirare atque ignes vomere narratur cf. odae Pyth. I et Promethei Aeschyli initium. Eandem sententiam Pindarus exemplo Coronidis ab ipso Apolline maxime dilectae, mortalem autem hominem amore amplexae, mirifice illustrat. Quae enim reverentia non solum diis in coelo habitantibus sed etiam diis qui sub terra morantur adhibenda est. Atque ne quis forte putet, hos deos negligere, sibi licere, Pindarus Pyth. IV, 157 iisque q. sq. Peliam ab Iasone petentem facit, ut Phryxi corpori supremum officium praestet, ne iracundia deorum inferos judicantium excitetur. Itaque etiam hi dii talionem exercent, quotiescunque aliquis mortuis honores, quos decet, non praebet.

Dixerit fortasse quispiam, quid? nonne ipsi dii gravissimi erroris culpam in se admiserunt, quoniam in mundi distributione

LIBRARY OF CONGRESS
0 003 048 698 5

Solis absentis obliti sunt? Ol. VII, 59: *καί ῥα μιν χώρας ἀκλάρωτον λίπον, ἀγνὸν θεόν.* Sed hunc errorem non ex maligna mente exortum ipse Juppiter exiguo temporis spatio interposito in rectum ordinem convertere studuit, eo quod novam partitionem instituit. Quod quum Sol recusaret, Rhodum autem insulam jam tum florentem sibi cuperet, Lachesim cum Jove, ut ipse insulam acciperet, jurare jussit, quod dii libenter concesserunt v. 67 et 68:

— τελεύταθεν δὲ λόγων κορυφαὶ
ἐν ἀλαθείᾳ πεπεῖσαι.

Deinde huc spectare videtur, quod Pindarus ingeniosissime divinavit, nunquam ultra fines, intra quos rectum consistere potest, transeundum esse, quam ad rem cf. Pyth. II, 34: *χρὴ δὲ αἰεὶ παντὸς ὁρᾶν μέτρον*, qua in re facio cum Dissenio: debet homo ex sua conditione semper cujusque rei modum considerare. Ceterum cum hac sententia omnino congruit, quod Horatius sermonum lib. I, 1. 106 et 107 pronunciavit: est modus in rebus et q. sq. et quod Aristoteles in ethic. Nicom. lib. alt. p. 1106 b, 8 de virtutibus medium locum inter duo vitia tenentibus disseruit cf. **Zelleri** philos. Gr. edit. alt. vol. II, part alt. pag. 490 et q. sq.

Quid? nonne in votis, quae diis facienda sunt, modum quendam observandum esse, quem praetermitti non oporteat, Pindarus demonstravit? Semper id tantum homini petere licet, quod praesto est (*γνόντα τὸ παρ' ποδός*) ita ut, quisquis animam immortalem deos orat, culpam in se admittat cf. Pyth. III, 59 et q. sq.

Quantum autem incommodum afferatur hominibus deorum praecepta omittentibus apertum fit ex oda Pythica quarta, ubi quia gleba, a deo quodam Euphemo hospitii tessera oblata, perierit, Euphemi posteros multo postea Delphici oraculi jussu in Libyam trangressos esse, quam olim destinatum fuiert, poëta enunciat. Posteriore demum aetate deorum auxilio (*σὺν τιμᾷ θεῶν*) factum est, ut ad hanc insulam pervenirent.

Ergo fiducia summa in diis collocanda est; nam si etiam hominem taedet, quotiescunque ei fiducia, quam postulare potest, non tribuitur, quanto magis deus sanctissimus atque justissimus succensebit!

Egregia igitur laude Iason est dignissimus, quem diis confidentem ne ignis quidem a conatu retinuit cf. Pyth. IV, v. 232:

— θεῷ πίσυνος
εἶχεν ἔργου· πῦρ δέ νιν οὐκ ἐόλει.

LIBRARY OF CONGRESS
0 003 048 698 5